
XXIX
CAPONS
1575


264







XXIX
CAPON.

PETRI CAPONSACCHII DE PANTANETO ARRETINI

De Iustitiæ, & Iuris Auditione.






FLORENTIAE,

In Officina Georgii Marescoti.

MDLXXIIII.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO FERDINANDO MEDICI Cardinali Amplißimo

Petrus Caponsacchius Salutem.





VEMADMODVM supernæ molis lucidißima sydera, quæ ſuaui tranquillitate iam tanto tempore circa oculos vertuntur noſtros, iuſtitiæ diuino lumine, fragrant: ita etiam, ob altum diuinitatis Oceanum, tot purpuratorum intellectuum, inſtar lympidißimi pelagi, in orbe terrarum micat Sereniſsimus Senatus, in quo non minori luce, inclyta iuſtitia amplitudinis tuæ vndique ſplendet, quàm hodierno die, ſupra omneis alios Reges, fulgeat vniuerſæ virtutis Thronus FRANCISCI Fratris tui, Magni Ducis Etruriæ: nec non etiam Illuſtrißimi PETRI, in tam iuuenili ætate, ſenilis prudentia. Quamobrem & ſi cæleſtis virtutis candorem, ſummis labiis, in hac mea, vix attigi, lucubratione, ſi eam tamen inſpicere non dedignaberis, tamquam clariſsimum animi tui exemplar intue-

ri poteris. Ob cuius nitorem ad diuinam eius Idæam euectus, non à cæli altitudine, non ab aeris amplitudine, non à terræ densitate, aut aquæ profunditate, circumscriptam mentis tuæ diuinitatem: sed in cælo, & in aere, & in aqua, & per omneis Cardines terræ subitò distributam esse comperies, cuius immensæ potentiæ felicitatem, ab immortali omnium Rege tibi semper exopto.

Vale, atque iterum vale. Arretii Anno MDLXXIIII.



CTVRI de Iustitia, et Iure: vnde leges emanant omnes, à definitione ipsorum non immerito exordiemur: hæc enim optime nobis euoluere poterit iustitiæ vim omnem atque naturam. Iustitiam ergo esse constantem, & perpetuam voluntatem ius vnicuique tribuentem à prudentioribus præceptum est. Cum enim iustitia in genere qualitatis sit Habitus quidam laudabilis; sicuti est omnis virtus: Habitus verò, vt habet Aristoteles, differt à dispositione: quoniam non sicut dispositio facile deleri potest; sed est ex numero eorum, quæ fixius animo hærent, quàm auferri valeant: amplius cum homo per ipsum rationale, atque prudentiam idem semper fuerit, sit, & futurus sit, dicta est iustitia non solum constans; sed etiã perpetua voluntas. Quoniam vero sicut in cogitatione est affirmatio & negatio; ita in appetitu est persecutio, & fuga vi. Eth. Idcirco anima existente, aut rationis participe, aut irascendi, & cupiendi principio, iii. de anima; sicut in ratione vacante est cupiditas, atque ira, qui sunt quidam appetitus: ita etiam in participe rationis est voluntas, qui est etiam quidam appetitus, tamquàm finis ipsius boni, iustitia itaque maxime in voluntate collocatur: nam cum motus fit per rationem, etiam per voluntatem fit, iii. de anima; voluntatis actus appetit, quæ ratio, & mens porrigit; sicut est ipsum bonũ: ob id Aphrodiseus Alexander inquit bonorũ appetitus, qui in nobis, iudicio, & cõsilio pollentibus gi

gnitur appellatur voluntas, quæ est cum consilio. recte itaque dictum fuit Iustitia est constans, & perpetua voluntas. Quamobrem, vt inquit Aristoteles. v. Eth. videmus omnes huiusmodi habitum appellare iustitiam solere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur: ex quo item iuste agunt, voluntque iusta: cum enim moralis virtus, sicut ipsa iustitia sit Habitus electiuus; electio vero consultatrix appetitio: propterea oportet si modo electio proba est, vt etiam ratio sit vera, & appetitus rectus, & eadem, & illa dicat, & hic persequatur. electio enim actionis principiũ est, electionis appetitus, & ratio, quæ alicuius causa est: vnde neque sine intellectu, & cogitatione, neque sine morali habitu electio est: hæc enim vel appetitiuus intellectus, vel intellectiuus appetitus est vi. Eth. quapropter cum in virtute requiratur magis electio, quàm operatio vi. Topicorum: ob id vtrisque collocatis in definitione iustitiæ, prius tamen electio, quàm operatio collocata fuit in eadem ratione iustitiæ: dictum ergo primo fuit iustitiam esse perpetuã, & constantem voluntatem; & deinde additum fuit ius suũ vnicuique tribuentem.

SECTIO II.

QVID verò sit ipsum ius explicatum quoque fuit ab Vlpiano in.l.prima. ff. de Iust. & Iure. cum vero duplex sit quid, & definitio; quarum vna, quæ videtur vagari per omne genus entium, est quid nominis: altera vero est ratio, & definitio rei, quæ solum inuolutam

sub-

ſubſtantiam rei euoluit: idcirco de vtraque explicatione iuris agit legislator, nam primo quantum ſpectat ad explicationem nominis, dictum fuit ius à iuſtitia eſſe appellatum, ſicut etiam pactum dici à pactione habetur in l. prima. ff. de Pactis: vt etiam de milite, & de exercitu patet in. l. i. ff. de Teſtamento militis: & ſic de aliis: cum enim nomen rei ipſius ſit imitatio quædam, vt inquit Plato, eſt rei ipſius declaratio: nominum igitur recta ratio in hoc conſiſtit, vt qualis quæque res ſit per ipſum indicetur; ſicut placuit ſapientioribus; vnde ἥρος, vt inquit Plato in Cratylo ἀπὸ τοῦ εἴρειν dicitur, quod dicere ſignificat, quare actica voce Heroes Retores quidam, & diſputatores, & etiam cum ex ἔρωτος ſint geniti, amatorij ſunt: omnes enim Heroes, vel ex amore Deorum erga mulieres humanas, vt inquit Plato, vel ex amore virorum erga Deas emanarunt, quapropter cum terreſtres Dij Heroes exiſtant, ſapientum genus Heroica proles fuit. merito itaque ſolus ex omnibus animantibus, homo ἄνθρωπος eſt nuncupatus quaſi ἀναθρῶν i. contemplans, quæ ὄπωπε id eſt vidit. quapropter etiam δικαιοσύνη id eſt iuſtitia quæ δικαίου σύνεσιν .i. iuſti intelligentiam importet facile coniicere poſſumus: quamobrem, vt inquit Ariſtoteles v. Eth. cum æquum medium ſit pluris, & paucioris arithmetica proportione appellatur ius δίκαιον: eo quod δίχα .i. bifariam diuerſum eſt quaſi δίχαιον, libartitum dixeris & Iudex δικαστὴς quaſi διχαστὴς .i. bipartitor dicitur.

SECTIO III.

QVONIAM *vero in libro de legumlatione inquit Plato, tria in re qualibet intelliguntur: substantia ipsa, substantiæ ratio, & nomen ipsum: idcirco postquam dixit ius deriuari à iustitia, ponitur deinde quid rei ipsius iuris dicendo. Ius est ars boni, & æqui: cum enim, vt inquit Plato in Gorgia; res duæ sint, artes etiam esse geminas arbitror, & artem quidem ad animam pertinentem ciuilem nuncupo: eam verò, quæ ad corpus nomine vno nominare non possum: sed huius artis vnius, quæ curat corpus, duas pono particulas: alteram quidem Gymnasticam, alteram Medicinam; in ciuili vero Nomotheticam s. conditricem legum puto correspondentem Gymnasticæ: & iustitiæ s. iudiciariam, Medicinam quodammodo referentem: communicant verò inuicem vt potè quæ circa idem corpus sunt Medicina, atque Gymnastica; rursusque iudicialis, atque legalis, circa animum: verumtamen inter se differunt: quoniã ergo in ceteris scientiis ab ipsa cognitione fit denominatio: Si enim quispiam sciat phylosophiam, necessario sequitur, vt etiam sit phylosophus: in his tamen quæ ad voluntatem moresq; pertinent, non valet, scit iusta, ergo est iustus: opus enim ad iustitiam est voluntate, & actione, per quam fuit definita: in morali ergo virtute non contemplatio, sed actio finis est i. Eth. idcirco ius per artẽ fuit definitum: cum enim Prudentia ratione recta sit ipsius optimi operatio, erit ars regia humanum genus feliciter gubernandi. quoniam vero*

ro vt inquit Aristoteles v. Ethico. in quacunque actione est plus, & minus, in eadem esse æquum necesse est: necessario itaque consequitur vt ius in quattuor minimis versetur: nam & ij quibus ius, & æquum aliquod est, duo sunt: & res duæ etiam in quibus ius ipsum, vt medium, consistit. ius igitur quoddam est, quod in proportione consistit: nam proportio æqualitas est rationum; primi igitur termini cum tertio, & secundi cum quarto iugatio ius illud est, quod in distributione consistit: quæ proportio Geometrica est secundum quam est ius distributiuum publicorum bonorum. Atque reliqua species iuris emendatiui dicta fuit, quæ non Geometrica, sed Arithmetica constat proportione: nihil enim refert probus ne vir malum, an malus probum suo priuauerit; sed ad solam nocumenti differentiam lex tunc spectat, perinde que personis vtitur, ac si æquales essent: ius igitur emendatiuum lucri, & damni medium est; quòd damnum, & lucrum in spontaneis contractibus videntur emersisse. ius igitur medium quoddam est, æquum autem est medium pluris, & paucioris Arithmetica proportione: duplex enim vt inquit Aristoteles v. Polit. est æquum, vnum numero, alterum dignitate: numero quidem ceu multitudine, ac magnitudine, idem & æquum: dignitate autem dico id quod est secundum rationem: æqualitas ergo Geometrica in quadam congrua portione consistit, iuxta quã in æqualibus distribuuntur inæqualia pro dignitate: vt quemadmodum differunt inter se personæ; sic & differant inter se distributa personis: Arithmetica vero in numero vtrique pari versatur ne socium suo in contractibus defraudemus; plus videlicet,

cet, quàm dederimus ipsi recipientes, vt dixit Proclus: si ergo, vt inquit Plato in Philebo ab omnibus artibus segregemus numerandi dimetiendique peritiam, vile quiddam, vt ita dicam, esset quod vniuscuiusque restaret. Omne itaque iustum cum sit æquale, est proportionatum atque pulchrũ. quapropter cum præter cetera animalia; vt inquit Aristoteles i. Polit. hoc proprium homini sit, vt boni, & mali, & iusti, & iniusti sensum habeat solus per innatam prudentiam, hanc rationem imitando ius ipsum in rebus constitutum est quod est ordinatio ciuilis societatis. Lex enim vii. Polit. est ordinatio quædam, & bona legis positio est bona ordinatio: vnde iustitiam, quæ est ciuitatis ordo, & salus, sociabilem virtutem appellauit Aristoteles iii. Polit. quapropter cum ius in medio consistat, atque omnia penetrando, & diuidendo inuestiget atque præbeat suum vnicuique, recte dictum fuit ius est ars boni, & æqui. Bona vero in tres partes sũt distributa i. Eth. nam alia externa, alia circa animum, alia circa corpus dicuntur: & quæ circa animum sunt maxime bona appellamus, quæ tria bonorum genera felici homini adesse patet vii. Polit. circa hæc autem omnia bona versari ius dicitur: actiuus enim intellectus, ad quem spectat ius, versatur circa bonum, & malum: sicut contemplatiuus circa verum, & falsum. Unde cum Deus Opt. Max. hoc pacto intellectus sit simplex, ei virtutes, affectusq; practici intellectus, per quandam similitudinem attribuuntur: cum vero in omnibus maxime principium ipsum bonum sit xii. Meth. bonum vero sit, vel vt finis, qui per se ipsum est expetendus vel ob finem, cuius gratia est expetendus: absoluti boni, cuius diuina

diuina idea ad Thæologum spectat, est voluntas: consultatio verò est de his quæ conducunt ad finem. Ut itaque bene, beateque viuendo ad ipsum simpliciter bonum, in quo nostra est sola felicitas euehi valeamus, philosophia Moralis, quæ legum mater & ianua dicta est, commune ciuitatis, & gentium bonum coniectat, cuius gratia dictum fuit ius est ars boni, & æqui.

SECTIO IIII.

CUM vero eius, quod aliter esse potest, aliud sit efficiendum, aliud agendum, & effectio, & actio diuersum quid sit, vt vi. Eth. testatus est Arist. effectionis enim finis diuersum quid ab ea est: actionis verò non semper: nam ipsa bona actio finis est, ius cum spectet ad actionem nō erit ars: nulla enim ars est, quæ non sit habitus cum ratione effectiuus. respondetur ius non esse artem quidem factiuam; sicuti sunt artes, quæ vulgo dicuntur artes, quemadmodum est ars statuaria: hæc enim formam Mercurij introducit in ipsum æs: vt etiam faciunt aliæ artes quæ introducunt formam in materiam sensibilem extra animam, de quibus intellexit tātum Arist. vi. Eth. at ipsum ius operatur circa ea quæ sunt in animo: spectat enim ad consultationem, vel deliberationem: erit ergo ius in alio genere artium, de quo licet non sit locutus Arist. loco adducto, ei tamen non repugnat dari hoc diuersum genus artis: idque optime testatur facultas dicendi, atque poesis, quæ ambo nomine artis dicuntur ab Aristot. ius itaque erit ars; non quidem cir-

ca actionem exteriorem, immo circa interiorem partium animi actionem: sicut existere etiam iustitiam ipsam testatus est Plato Dialogo de rep. idcirco ab eo dictum fuit iustitiã præstare cuique, nihil esse aliud, quàm animi partes in ordinem suum redigere, vt ad naturæ normam pareat, atq; imperet: vnde Proclus inquit. Iustum ipsum rationi quidem dare imperium, irrationali deputare seruitutem: vtrique enim quod sibi consentaneum est attribuit: principali quidem principatum; inferiori verò designat obsequium, iniustitiam vero vt contra naturam exuberent inuicem, atq; succumbant: sed si omnis ars, vt Plato in Gorgia dixit, rationem reddere debet: aliter esset peritia, & non ars: quo pacto ius erit ars si non omnium, quæ à maioribus constituta sunt ratio reddi potest, vt patet L.xx.ff.de.ll. An vis, ac potestas legis adductæ duobus modis intelligitur, vel quia verba legis sint prolata, & constituta à legislatore absque ratione; vel quia licet à ratione emanauerint; tamen non semper in lege est apposita: & sic eam nos aliquando latere nihil prohibet. Primo modo negatur interpretatio legis adductæ: at secundo modo conceditur, & sic dubitatio corruit: Cũ enim nulla lex sit absque ratione, aliter esset iniusta, non cogitur tamẽ legislator rationẽ, & causam in eius animo semper residentẽ in l. prolata reddere, vt inquit Plato; Neque obstat dicere, quod qui in arte sponte peccat magis est eligendus, minus qui imprudenter idem facit: qui enim sponte claudicat, melior est eo, qui inuitus vi. Metha. quapropter, si prudentia hac de causa non sit ars, sed virtus quædam: ius etiã quod est habitus prudentiæ non poterit dici ars. Respõdetur:
dictum

dictum Aristotelis quod qui in arte s[illegible] peccat est magis eligendus, verum est in artibus fac[illegible] de q[illegible] [illegible]s, vt dictum est, loquitur ibi Aristoteles, at ius nõ factiua, sed potius actiua existit ars. hæc enim circa affectus & actiones versatur. in quibus excessus, & defectus, & medium est: vnde prudentia dicta fuit ab Aristotele vi. Eth. Habitus cum ratione recta actiuus circa ea, quæ humana bona sunt; bonum vero est in omni genere: nam & in substantia dicitur, vt Deus, & Mens, & in qualitate vt virtus, & in quantitate vt mediocre, & in eo quod est ad aliquid vt vtile, et alia in aliis i. Eth. quot enim ipsum ens, tot & ipsum bonum dicitur modis. quapropter si facultatum omnium bonus est finis, non dubium quin etiam optimæ sit optimus: at qui, vt habet Aristoteles i. Eth. ciuilis est optima facultas: igitur ipsius finis optimus: at cum bonum iam positum sit in omnibus primis decẽ generibus: nullius facultatis, vt inquit Arist. i. Eth. aut sciẽtiæ est dicere de bono vniuersali, quod in vna quaque est: ne quidem igitur rei ciuilis est dicere de communi bono: de bono igitur, & optimo, ac nobis optimo: nam & iustitia est bona, & fortitudo, & aliæ reliquæ virtutes. cum vero in omni actione, & electione finis ipse sit, cuius gratia reliqua omnia omnes agunt. si quis communiter agendorum omnium finis est, illud erit supremum bonum: at cum in ciuili philosophia bona humana subiciantur: ob id bonum positum in definitione iuris coarctatur per æquum, tamquàm per alterã differentiam: est enim ciuile bonum iustum: id autem communis vtilitas, quæ videtur omnibus æquum: cum verò quædam comprehendi legibus possint, quædam non possint, i i i.

Polit.consentan[illegible] a legum conditorem quod communius est, quodque [illegible] plurimum conducere putat instituere Plat.in Dialogo de Regno: sicut sancitum etiã fuit l.ix.ff.de.ll.idcirco L.v.& iii.eiusdem tituli patet iura cõstituenda esse in his, quæ ut plurimum accidunt: non in his quæ ΠΑΡΑΛΟΓΟΝ. quapropter vt secũdo Magnorũ. Moraliũ habetur æquitas, et æquum descripta legibus iusta diminuit, ac moderatur; eiusmodi tamen æquum non omnino iusta diminuit, quandoquidem quæ natura, ac vere iusta sunt non diminuit: sed ea dumtaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non posset: nam vt inquit Plato in Dialogo de Regno hominum, & actionum dissimilitudo instabilisq; humanarũ rerum conductio facit, vt legum cõditor dum cunctis in vnũ consulit, non potest ad singulorum commoditatem iuste prospicere; vnde ius prætorium introductum fuit l.vii.ff.de iustitia, & iure; nã & ipsum ius honorarium l.[illegible] eiusdem Tit.est viua vox iuris ciuilis: cum itaque non solum vniuersalium sit prudentia: sed opus est ut singula etiam cognoscãtur: idcirco cum nõ possint omnes articuli singillatim aut l. auctẽ.l.cõprehendi: quãdo in aliquo casu vt titulo de ll. & St.[illegible] habetur; scientia eorum manifesta est: his qui iurisdictioni præest ad similia procedere, & ita ius dicere debet. nam si legislatori idem esset oblatum, idem ille etiam eadem æquitate dixisset: scire enim leges non est verba earũ tenere, sed vim ac potestatem l.17.ff.de ll. cum vero honestatis, & hominum causa omne ius constitutum sit l.ii.ff.de statu hominum: idcirco de quibus lex aut prouidere non põt omnino aut non bene prouidere benignius leges interpretan-

dæ ſunt quo voluntas earum conſeruetur ff. de ll. l. 18. cum itaque hac æquitatis benignitate ob diuerſitatem tum loci, tum conſuetudinis, qui iurisdictioni præeſt debet ad ſimilia procedendo ius dicere, quod in eius prudentia poſitum eſt: ideo antiquiores leges ad poſteriores trahi vſitatum eſt: ſemper quaſi hoc legibus ineſſe credi oportet vt ad eas quoque perſonas & ad eas res pertineant, quæ quandoque ſimiles erunt l. 27. ff. de. ll. vnde bona occaſio eſt, & cetera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione ſuppleri: id nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum cõmodum producamus ad ſeueritatem l. 25. ff. de ll. & S. Si quapropter cum ius docens bonum ipſum atque in vniuerſum conſulens vtilitati hominũ benignius corrigi debeat per ius, & æquitatem qua vtimur, vt legislatoris conſeruetur voluntas, & æquitas, cuius commendationem non nulli tituli in principio habẽt, recte dictum fuit ius eſt ars non ſolum boni: ſed etiam æqui; nã cum æquum, & bonum cuius ius eſt ars, iuris cuiusdam Lege vniuerſaliter ſanciti, æquum ſit, melius ius quoddam eſt: neque tamen vt v. Eth. habetur, quaſi diuerſum aliquod genus eſt iure ipſo melius. ius igitur & æquum & bonum idem eſt, cum enim vtraque honeſta ſint, æquum & bonum honeſtius meliusq; eſt: nam æquum & bonum ius eſt non ſecundum legem; ſed legitimi iuris correctio, cuius rei cauſa eſt, quod legislatoris iudicium nõ de ſingulis, neque de præſentibus: ſed de vniuerſalibus, & de futuris eſt. Senator autẽ & iudex de præſentibus determinatisq;

iudicat primo Reth. Aristot. ad Theodeitem. quam ob rem cum fieri non possit vt recte de quibusdam in vniuersum definiatur, lex id sumit quod frequenter fit, non ignorans sanè quod peccatur: & tamen recte sese habet: quippe cum peccatum in lege minime sit, neque in legislatore: sed in rei ipsius natura consistat: non enim iura in singulas personas, sed generaliter constituuntur: lites vero & ius, quo vtimur, versantur circa singularia infinita: continuo enim generantur, & corrumpuntur; quando ergo præter vniuersale quippiam postea contigerit, tunc recte sese habet, si qua legislator omisit absoluteq; , ac simpliciter loquendo peccauit, corrigatur defectus; id quod legislator etiam ipse si adesset dixisset, & si sciuisset, ita per scribentem legem instituisset: hinc itaque ius emanauit melius quodam iure, non eo tamen quod absolute, & simpliciter; sed eo quod absolute loquendo peccat: est que ea æqui & boni natura vt legis, qua parte deficit ob vniuersale emendatio sit: id enim est in causa vt etiam non omnia secundum legem sint: propterea quod vt de quibusdam lex sanciatur fieri nullo modo potest. quapropter decreto opus est; indefiniti enim indefinita esse regula debet: sicut ædificationis Lesbiæ plumbea norma, quæ ad lapidis figuræ normam transmutatur, neque immobilis manet: sic decretum ad res ipsas accommodatum v. Eth. qui ergo non est exactus iuris executor in peiorem partem: sed imminuit potius, æquus & bonus est: habitusq; ipse æquitas quæ quidem iustitia quædam nec diuersus ab ea habitus est. Ex his itaque patet hanc rationem iuris de qua dictum est esse artem boni, & æqui nihil improprij, aut imperfecti continere:

tinere: quod enim adiunctum fuit, cuius merito quis nos sacerdotes appellet, non spectat ad partes definitionis: sed potius ex tradita definitione colligitur.

SECTIO V.

SED quoniã præter methodum definitiuam datur etiã apud non nullos methodus diuisiua. ob id non solum via definitiua: sed etiã diuisiua explicatur natura iuris. diuisio vero quæ primo ponitur est per ius publicum, & per ius priuatum, quod dicitur respicere ad singulorum vtilitatem: primum vero in sacris; in sacerdotibus, & in magistratibus consistere. Sed dubitatur; nam in l.i.ff.de rerum diuisione habetur, res aut sunt diuini iuris ut sacræ sunt, & religiosæ, aut humani iuris, & quæ humani sunt iuris aut sunt publicæ, aut priuatæ. quapropter res sacræ quæ iam sũt de iure publico ff.de Iust. & Iure l.i.erunt etiam de iure humano, quod contra diuiditur à Iure diuino Tit. de diuisione rerum: & sic res diuinæ non erunt de iure diuino, consequens est falsum, ergo & antecedens. Respondetur primam diuisionem esse diuisionem iuris: secundam verò esse diuisionem rerum quæ sunt humani iuris; quapropter publicum ius consistere non solum in sacris, & sacerdotibus: sed etiam additum fuit in magistratibus, vt de Iusti. & Iure l.adducta, dictum fuit. dicere verò vt T.de diuisione rerum l.i.habetur, res publicas esse de Iure humano, quod eo in loco contra distinctum fuit à Iure diuino: huius enim sunt res sacræ religiosæ, & etiam sanctæ, vt muri ciuitatis, habet locum in

ipsis

ipsis magistratibus. ius deinde priuatum apud Vlpianum l.i.ff.de Iusti.& Iure subdiuiditur tribus modis: aut enim est ius naturale, aut gẽtium, aut ciuile. Ius enim naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis proprium: sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur: at si omne ius spectat ad intellectum practicum; ius enim est tantum in iis, in quibus est electio. Cum ergo homo sola ratione à ceteris differat animãtibus non poterunt vllo pacto iure participare; cum itaque ius sit tantum opus rationis: ob id omne ius Politicum, quod ab œconomico distinctum fuit, ab Aristotile diuiditur in ius naturale, & in ius legitimum: illud vero dicitur ius naturale, quod est immutabile & idem apud omnes homines; at ius legitimum dicitur ius iam scriptum, quod antequàm esset scriptum nõ differebat, vtrum hoc vel illo modo fieret, & sic tale ius legitimum cum accipit à cõstitutione: nam si sit de rebus singularibus erit decretũ. in Iure itaque legitimo inest ius naturale: sicut materia naturalis inest in re artificiali. ius itaque tum naturale, tum gentium, de quibus Vlpianus l.i.ff.de Iust.& Iure agit, est tantum ipsum ius naturale, de quo Arist.v.Eth. sicut ipsum ius ciuile Vlpiani erit ius legitimum apud Arist. quapropter illud idem quod natura dicitur in animalibus irrationalibus, dicitur ius in hominibus: in his enim tantum natura animæ vegetatiuæ, & sẽsitiuæ, qua etiam participant omnia alia animalia à ratione dirigitur. vnde coniũctio maris, & feminæ in hominibus matrimonium dicitur. cum ergo operationes irrationalis animæ in hominibus solum, non autem in reliquis animalibus,

in

in quibus eadem sunt, à ratione g ntur: ob id tantum secun im materiam ius erit in nimalibu. & non secũdum formalem rationem: sicuti est in homine, & sic non sequitur omnia corpora, quæ habent n turam, habere etiã ius: sicut sequeretu si alio modo qu em diximus intelligeremus Vlpianu : vn le igni at naturam tenđendi sursum, haberet etiam ius cum sit factum à ratione, quæ soli homini conu & etiã alia omnia corpora naturalia non differrent ab homine, quod est maxime absurdum. Est igitur vt primo Rect. h bet Aristot. quoddam natura iustum, & iniustum, quod omnes vaticinantur: etiã si nulla inter se societas, aut pacti sit. vnde dictũ est in Antigone Sophoclis fecisse se præter Creontis legem; sed non præter illam non cri tam: cum enim homo natura sociale animal sit primo Polit. iustitia vero sit sociabilis virtus iii. Poli. idcirco datur ius naturale: Si igitur vt secundo de anima inquit Aph. Alex: sociales, & communicabiles natura sumus, impossibile est autem durare societatem sine iustitia, necesse est ius quoque natura esse: vnde syluestrem virum appellauit Homerus eum qui non scit, neque iustitiam, neque iura; id enim sine quo impossibile est esse aliquid eorũ, quæ in nobis sunt, necesse est esse natura, veluti impossibile est videre sine oculis: quare cum visio sit natura, ipsi quoque oculi natura erunt: propter hanc ergo propensionem & legem insitam omnibus animalibus a natura, quam imitatur ars, acquiritur ius in intellectu, quod est ars boni & æqui. Cum itaque ius naturale non nuncupetur medius tertius; sed semper immutabile videatur esse, vbicunque eandem uim habet,

bet, & non quia vel ... ietur, vel minime: quod enim ... tura est, immutabile existit, quemadmodum ignis qui & hîc & apud Persas vrit: nam licet natura dextera manus potior sit, fieri tamen pot est ut omnes ambidestri fiant; tamen dexteræ nihilominus à natura potiores sunt sinistris: tam & si cuncta sinistra v... ... cut & dextera faciamus, v. Eth. cum vero ... naturale atque legitimum: hoc enim à princip... hoc a nillo modo fiat nihil refert: vbi verò ... uerit institutum refert: idcirco iura naturalia eadem vbique sunt: quapropter teste Aristoteles loco adducto cura & institutione & vtilitate, similia mensuris sunt: non enim vbique sunt æquales vinariæ, & frumentariæ mensuræ. Ciuile itaque iustum non natura, sed lege est: iustorum enim quædam natura, quædam lege sunt, propria singulis inter se ipsis determinata sunt. ius itaque tamquam commune quoddam coarctatur per huiusmodi modos ad ius naturale, & legitimum: ob id l. xi. dictum fuit ius ciuile est quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, neq. per omnia ei seruit. Cum itaque aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est ciuile efficimus: nam cum ius naturale idem semper sit, atque immobile diuersificatur modo: colere enim Deum, atque obseruare parentes sunt iura quædam non scripta, & communia, quæ naturaliter apud vniuersos homines retinentur: de his enim, vt Aphro. inquit Alex. neque paciscuntur secum neque leges sanciunt: sed retinent tamquam statutas, atque confirmatas ab ipsa natura: sed secundum diuersum honoris modum leges tenent, alij hoc modo, alij alio, quibus in re

bus ius per constitutionem vim postea habet: hoc enim modo colere Deum, vel obseruare parentes ius per cōstitutionem, & legale definit, ac perscribit: quod ius gentiū Alex. vocat, quia à diuersis gentibus sancitum est non ab omnibus similiter: quare id ius apud alios diuersum est: apud omnes tamen & semper vt coletur Deus in hominum natura inditum est, atque inspersum: sicut itaque ius naturale est idem, & immobile apud omnia animalia: ita etiam ius gentium apud omnes homines: cum sit secundum naturam hominis. Est etiam idem, & immobile apud omnes homines: ob id ab Aristotele non fuit contra distinctum à iure naturali. ius itaque tamquam commune quoddam coarctatur à iure naturali, & à iure legitimo, quæ analogicæ species videntur.

SECTIO VI.

CVM verò cuiuslibet rei quattuor sint causæ, tradita diuisio iuris ff. de Iust. & Iure l. i. non videtur præbere perfectam scientiam iuris, cum sit tantum tradita per vnum genus causarū: idcirco respondendo dicimus, vt vndique per omnia quattuor genera causarum natura iuris nobis innotesceret, postquam iam loco adducto diuisum fuit ius per causas formales ff. deinde de ll. l. xl. diuisio iuris tradita fuit per causas efficientes: Nam omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmauit consuetudo in l. vero xli. eiusdem T. tradita fuit diuisio per causas finales, inquiens totum autem ius consistit, aut in acquirendo, aut in conseruādo, aut in minuendo: aut enim hoc

agitur, quemadmodum quid cuiusq; fiat: aut quemadmodum quis rem suam vel ius suũ conseruet, aut quomodo alienet, aut amittat: at ff de statu hominum l.1 posita fuit diuisio per causas materiales; explicans enim ibi subiectam materiam iuris, inquit, omne ius, quo vtimur, aut ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones: sed cum cuiuslibet facultatis vnum subiectum tantum esse debeat, ratione cuius vna tantum est facultas.i. cur ergo tria hic ponuntur, &c? An illa tria reducuntur ad vnum, id est ad ius? nam personæ, & res, & actiones considerantur, vt veniunt sub ratione iuris; sed cum ius pluribus modis dicatur ff. de Iust. & Iure l xi. quo pacto vnica definitione, quæ explicat tantum vnam naturã, explicari potuit l.i. &c. Respondetur ius omne: sicut etiam bonum, & æquum, in eodem genere esse: nõ ergo æquiuocum est: eadem enim eius est ratio iuxta iuris nomen simpliciter: nam siue sit naturale, aut gentium, aut ciuile: quatenus tamen ius est semper est ordinatio quædam communis societatis: at si diuersa enumerentur iura, hoc euenit ob diuersas differentias aduenĩetes, neque obstat id quod dictum fuit prætorem etiam ius reddere cum inique decreuerit: propterea quod, vt habetur in dicta l. ius tunc dicitur redditum à prætore relatione.s. facta non ad id quod prætor ita fecit: sed ad id quod prætorem facere conuenit: illud autem semper bonum est, aut omnibus, aut plurimis: & hac de causa iustitia est constans, & perpetua voluntas; ius itaque cum multipliciter dicatur, non est tamen æquiuocum; sed potius analogum: omnia enim significata iuris reduci possunt ad vnũ, ratione cuius vnius primi illa facultas dicitur vna:

ob id

ob id alia etiam significatione ius dicitur locus in quo ius redditur appellatione collata ab eo quod fit in id vbi fit: illud autem, quod iure factum est habet, semper rationem boni, & æqui: sicut etiam est ipsum ius cognationis, vel affinitatis: vnde hac de causa ius pro necessitudine etiam dicimus. quapropter sicut cibus, & exercitium dicuntur sana, relatione facta ad veram primam sanitatem, vel scilicet quia facit sanitatem, vel quia conseruat, vel indicat sanitatem, qua ratione etiam omnia dicuntur entia ratione vnius primi, à quo pendent; ita vt non ens dicamus etiam esse non ens iiii. Metha. ita etiam sequitur ius tamquam nomen ad vnũ non esse hoc pacto æquiuocum, & sic diffinibili iure existente optime legislator à præstantiori methodo, quæ est definitiua, potuit exordiri.

SECTIO VII.

SI vero homo ex vnica animæ potentia cõstaret, nõ posset nisi secundum illam suapte natura agere; vnde legibus non opus esset ad dirigendam vitam humanam; sed quoniam diuersæ, atque contrariæ inter se in ea animæ facultates collocatæ fuerunt: & homine inexistente repugnatiæ huius insitæ, libera potẽtia, in eius manu tradita fuit electio boni, & mali: ne itaque homo principium existens suæ actionis, abuteretur ea potentia, qua præstantior omnibus animantibus fieri potest, & iniquior redderetur, inuentæ fuerunt leges, quibus delicta sponte, aut ignorantia contracta corrigerentur: & sic homo arma tenens per innatam pru-

dentiam, atque virtutem, quibus si in cõtrarium vteretur, immanissimus redderetur i. Polit. non solum bonum humanum consequi valet: sed ad diuinam etiam felicitatem atq; summum bonum ab omnibus expetibile euehitur. sed cum vt inquit Aristoteles vii. Polit. duo sint in quibus omnis cõmendatio bene agendi consistit, vnum vt propositum ac finis agendi recte subiaceat: aliud vt eas quæ ad illum finem ferant actiones inueniamus: idcirco ob finem legum adipiscendum, qui est, vt ciues boni, & felices reddantur, modus ac uia inuenienda erat à Legislatore, vt hoc præstare posset. quamobrem cum felicitas animæ per virtutem perfectam, operatio quædam sit i. Eth. bene enim agere, & felicem esse idem est: ob id latæ fuerunt leges iuxta quamlibet virtutẽ: hac ergo de causa ff. de Iust. & Iure l. x. omnes virtutes tribus præceptis complectẽs dixit Vlpianus præcepta iuris esse. Alterum non lædere, honeste viuere, & ius suum vnicuiq; tribuere. numero itaque perfecto comprehensus est iuris omnia præcepta respicientia iustitiam ipsam vniuersalem, atq; perfectam; hæc enim sola virtutes complectitur oẽs v. Eth. nam si quis ob animi abiectam vilemq; naturã scutum abiecerit; aut fugiendo ordinem in acie deseruerit, hunc iniuste fecisse dicimus: etiam si in fortitudine, quæ timiditati atq; audaciæ contraria existit, peccauerit: ita etiam vt v. Eth. habetur si quis ob incontinentiam stuprum commiserit, dicimus iniuste fecisse: sicut etiam si quis ob auaritiã, atque prodigalitatem liberalitati oppositam lucrum, aut damnum inde consecutus sit, iniuste iam egit: cum verò nulla virtus, teste Arist. in Eth. sit sine prudentia: simul enim cum prudentia;

dentia, quæ vna est, omnes existunt: idcirco ne separaretur præcipua virtus; quæ suapte natura à ceteris virtutibus seiungi non potest; non est mirũ si nulla alia mentio singillatim de ea videatur facta: nam prudentia cum morum virtute, & hæc cum prudentia coniuncta est: si quidem prudentiæ principia ex virtutibus moralibus; rectitudo vero moralium virtutum ex prudentia existit x. Eth. quapropter si id, quod omnes virtutes continet, est iustitia vniuersalis & hæc tria præcepta iuris tradita omnes virtutes comprehendunt; idcirco erunt etiam præcepta solius iustitiæ vniuersalis: ob id vt Diapason consonantia, & vox acuta cum graui adeo consonat; vt quæ vox gemina est appareat vna; sic in ipsa vniuersali Iustitia ceteræ omnes virtutes cum iustitiæ prudentia, atque robore tam apte congruunt, vt virtutes omnes uix inuicem discernantur. quam obrem cum ius ipsum verfetur, vel circa actiones, vel circa personas, vel circa res: etiã eius præcepta sunt honeste viuere, alterum non lædere, & ius suũ vnicuiq; tribuere. hinc itaque ob humanam tranquillitatem factum est, vt à lege corrigantur delicta concupiscibilis, & appetibilis animæ: hæc enim quatenus rationi obedit, imperioque eius obtemperat, in ea est virtus moralis. Cum itaque boni fiant propter tria, natura scilicet, more, & ratione vii. Polit. & solus homo inter animalia secundum rationem viuat: solus enim rationem habet: idcirco vt pars illa ferina sedetur, & mansuescat, domestica vero pars vigeat, oportet rationis imperio principem locum tenenti, ceteras partes perturbationibus agitatas esse subiectas: vnde cum partes animæ inter se discordes sint non solum cum altero: sed etiã

cum

cum semetipso aliquis iniuste agere potest. cum vero sola legis virtute hoc mentis imperium vigere valeat, non temere miranda, diuinaque lex, quæ nomen menti proximum possidet: νόος enim mentem, νόμος verò legem significat: ut enim sermo qui est in voce imitatio est eius, qui est in anima: ita qui in anima, eius, qui in superiori mente. verè igitur, vt inquit Plotinus, ipsa Iustitia, vnius est ad seipsum: temperantia verò intima ad intellectum conuersio, atque ad seipsum est. fortitudinis denique loco ipsa à materia segregatio, puraque in se ipso permansio: proprium autem opus propriorum actio dicitur, atque iustitia: animæ ergo intuitus in intellectũ sapientia est, atque prudentia virtutes eius; nam virtus animæ est: mentis verò nequaquam, neque eius quod est mente superius: quæ enim ante virtutem sunt exemplaria: vnde si quis, vt inquit Plato, ex manifestiori, ac ciuitatis iustitia ad occultiorem quasi latentem transiret in animum: videret quàm pulcher sit iustitiæ vultus, qua ratione neque hesperus, neque lucifer adeo speciosus fulget.

SECTIO VIII.

SED statim circa dicta oritur dubitatio: nam cum omnis vera cognitio sit ex prioribus: est enim ex causis: & ius cum descendat à iustitia sit ea posterius, quo pacto iustitia per ius definita fuit, &c. Idcirco sciendum est nullam ex moralibus virtutibus natura in nobis acquiri, teste Aristotele libro 2. Eth. nihil enim ex his quæ natura fiũt assuescere aliter potest, vt lapis cum natura deorsum fera-

tur,

tur, numquam sursum ferri assuescit, neque ignis deorsum, neque aliud quidpiam, aliter quàm natura comparatum sit vmquam assuescet; neque igitur natura neque præter naturam virtutes hæ in nobis acquiruntur: sed cum idonei ad ipsas suscipiēdas natura simus assuetudine perficimur. Cum itaque iustitiæ habitus à natura nobis non insit: sed potentia tantum ad iuste agenda: ob id ex frequentatis actionibus in reddendo vnicuique quod suum est, adipiscitur à nobis fixus atque immobilis iustitiæ habitus, qui nihil aliud videtur esse, quàm illæ in anima coaceruatæ actiones iustæ, atque iura reddita: quo habitu adepto sponte deinde operatur iuste: iustitia enim est habitus, quo ad res iustas agendas idonei homines efficiuntur: eorum enim quæ natura nobis eueniunt facultates prius accipimus: deinde reddimus operationes: id quod in sensibus perspicuum est: non enim ex eo quod sæpe vel vidimus, vel audiuimus, sensus videndi, & audiendi accepimus: sed e contrario habentes vsi sumus, & non vsi habuimus: sed virtutes, vt habet Aristoteles ii. Eth. accipimus vbi prius fuerimus operati: quemadmodum etiā in aliis artibus: quæ enim vbi didicerimus facere oportet, ea faciendo discimus: sicut cythara canendo cytharœdi efficiuntur: ita quoque iusta agendo iusti, temperantia temperantes, fortia fortes euadimus. Ex his itaque patet iustitiæ habitum posteriorem esse iure: acquiritur enim ex eo quod quispiam circa singula propensionem habendo iusta operare assueuit: iusta itaque agere, vt inquit Plato, iustitiam gignit in animo: at quatenus deinde per huiusmodi habitum iam adeptū operamur deinde iusta: iustitia enim, vt inquit Plato, est ius

quæ tales idest iustos efficit viros: sic iustitiæ habitus præcedit ipsum ius. quapropter obseruans legislator hunc duplicē ordinem in propositione articuli collocauit ante ius ipsam iustitiam: dum inscripsit de Iustitia, & Iure: at in tractatione deinde prius de iuris definitione, ac diuisione: deinde de iustitiæ definitione egit. cum ergo quoad acquirendum iustitiæ habitum præcedat ius per illum tamquam habitus ex prioribus acquisitus definiri recte potuit: non enim qui semel iuste aliquo modo egit, iustitiæ habitum dicitur habere: sed si aliquo modo affectus agat. primo quidem si sciens: deinde, si eligens, atque eligens propter ipsa: tertio si stabili atque immutabili affectu prædictis agat: quo tamen ad habitum reddendi unicuique ius suum, iustitia est prior iure: & sic ius potuit deriuari a iustitia, secundum nomen amplius cum aliud sit potentia reddendi unicuique quod suum est: aliud uero sit actus, uel operatio eiusdem potentiæ, dubitatur cur iustitia non sit definita tantum per potentiam, & actum illum primum, qui respectu actus secundi appellatur potentia, quæ licet possit separari ab actu secundo, non tamen secundus à primo: sicut patet in graui, & leui. hæc enim licet habeat potētiam semper ferendi sursum aut deorsum, tamen quando graue sursum, per violentiam detinetur, ne tendet deorsum, est graue & tamen non operatur secundum grauitatem: idcirco remoto impedimento statim descendit deorsum: sicut etiam phylosophus, qui & si semper habeat habitum phylosophandi: tamen inter dormiendum non phylosophatur: ita etiam qui habet habitum iustitiæ, licet non operetur secundum illum actum, vt in dormiendo,

miendo, est tamen iustus: idcirco licet seruo prohibitum sit aut vi, aut iure facere quod ei libet, non est tamen ab eo ablata naturalis facultas hoc idem præstandi quotiescumque ablatum ei esset impedimentum: vnde ex iusta seruitute manumittuntur: & libertini efficiuntur ff. de statu hominum l. vi. cum enim libertas sit de iure naturali, quo ad naturalem facultatem tolli non potest: sed bene quoad eius operationem auferri valet iure gentium: Respondetur hoc factum fuisse propterea quod vt in Eth. inquit Aristot. in virtutibus moralibus finis non est cognitio, vt in scientiis speculatiuis; sed actio, & operatio. Cum enim iustitia sit virtus alterius gratia societatis humanæ, dicitur non immerito quilibet iustus, vel fortis, qui iusta, & fortia agit, & operatur: quapropter cũ operatio iustitiæ sit causa finalis ipsius iustitiæ, iustitia hac de causa definita fuit non solum per actum illum primum vt est constans illa, & perpetua voluntas; sed etiam multo magis per actum secundum, qui in reddendo vnicuiq; quod suum est, consistit: amplius cum iuris præcepta sint tria, vt iam patuit lege adducta, dubitatur cur etiam ipsa iustitia, à qua descendit secundum nomen, quod rebus est consonum, non sit etiam definita per omnia illa tria iura: sed per vnum tantum dicens. iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens: aut ergo non omnia illa iuris tria præcepta erunt etiam ipsius iustitiæ, & sic iustitia non vndique iusta, aut iustitiæ definitio tradita non erit perfecta, quod vtrumq; est absurdum. Respondendum itaque est hoc vltimum præceptum, per quod definita est iustitia, virtute continere cete-

ra duo antecedentia præcepta iuris. nam cum definitio iustitiæ tradita sit per ius, & hoc tribus modis dicatur, pro omnibus his tribus significatis debet accipi ius in definitione iustitiæ: neque propter hoc vtemur æquiuoco in definitione: propterea quod ipsum ius iuxta omnia eius significata est in eodem genere boni: est enim ius aut omnibus bonum, aut quàm plurimis, aut aliquibus tantum: quapropter cum à iure naturali descendat maris, & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio: hinc educatio: ob id ad bene, honesteq; viuendum respicit ipsum ius naturale: ad alterum verò non lædere, respicit ipsum ius gentium: nam cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse: vnde iure hoc euenit, vt quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit iure fecisse existimetur ff. de Iust. & Iure l. iii. cum verò ius ciuile, ius proprium sit l. viiii. quod enim quisque populus ipse sibi ius constituit ipsius proprium ciuitatis est, vocaturque ius ciuile, quasi ius propriũ ipsius ciuitatis: idcirco ius ciuile tribuere vnicuique suum respicit. cum ergo ius tribus suis significatis correspondeat tribus præceptis iuris traditis: ob id ius acceptum in definitione iustitiæ intelligitur iuxta omnia sua significata: vnde etiã virtute comprehendet omnia illa tria præcepta iuris, & sic quæ actu explicata, atque distincta fuerunt in tradendis præceptis iuris; nunc tradita definitione iustitiæ per ipsum ius in vnum omnia comprehenduntur; Amplius vt etiam ea, quæ ob materiam infinitam, complecti non poterant à legislatore, saltem secundum formam complecterentur; ius etiam

etiam, vt est ars boni, & æqui, intellectum quoque fuit in definitione iustitiæ; quoniam in iure quod incorporale est continentur plerumque res corporales; versatur enim circa res, personas, & actiones: idcirco omnem etiam subiectam iuris materiam comprehendens inquit, ius suum vnicuique tribuens: cum verò res, circa quas versatur iustitia, sub aliqua obligatione nobis aliquo modo debeantur: ob id ius in intellectu existens respicit ea, quæ aliquo modo nobis debentur: idcirco vsusfructus dictũ fuit ius in corpore quo sublato, & ipsum tolli necesse est ff. de vsufructu l. ii. & quemad modum seruitutes etiam rusticorum prædiorum per ius explicatæ fuerunt: cum verè iura in intellectu coaceruata dicatur ipsa iustitia, iustitia in anima facit iustitiam, & ius extra animam; sicut etiam ius extra animam facit iustitiam, & ius in anima: tale autem ius cum versetur etiam circa ea, quæ sub lege non sunt comprehensa, versabitur circa aliquod indiuiduum; quod latuit legislatorem, cuius iustitia dicitur ius: at cum iuris prudentia sit diuinarum, atque humanarum rerum notitia, iusti, atque iniusti scientia, perfecta virtus erit: nam ius ordinatio est ciuilis societatis, vt homo qua diuinum quidpiam in ipso est, viuat: religio enim erga Deum cum sit de iure gentium, est etiam de iure diuino: vt ergo humana ad diuina, quibus inniti debent, erigantur: debet legislator tum res humanas, tum res diuinas cognoscere: Posita itaque fuit in hac ratione tum diuisio rerum, tum qualitas ipsarum, de quibus ff. de rerum diu: & qualitate: quo in loco ad duo tantum reducens dixit alias esse res diuini iuris, alias humani:

propterea quod res considerantur à legislatore vel vt sunt in bonis aliquorum, vel non; primo modo sunt res humanæ, secundo modo sunt res diuinæ: neque obstat dicere quod res hereditariæ antequam heres aliquis existat nullius in bonis esse posśint. T. iam adducto: nõ tamen diuini iuris sunt, quandoquidem hereditas antequam quisṗiã heres existat, licet nullius in bonis actu sit; potentia tamen in bonis futuri heredis est: at res diuini iuris neque actu, neque potentia sub dominio alicuius hodie venire queunt; Amplius cum vniuersale non sit extra singularia per Arist. est tamen secundum consideratione aliquid aliud ab ipsis: idcirco quamuis etiam res publicæ nullius singularis sint in bonis: attamen res diuini iuris neque singularis neque vniuersalis alicuius in bonis esse creduntur: cum verò iustum comprehendendo omnes virtutes dicat iustitiam in re subiecta: idcirco ob huiusmodi iustitiæ naturam collocatæ fuerunt res tum humanæ, tum diuinæ; de quibus cum agat legislator, vt sub iustitiam veniunt, addidit iusti, atque iniusti scientia: considerare enim res vel vt sunt à materia separatæ re & ratione, vel ratione tantum, vel neque re, neque ratione: spectat ad diuinum vel Mathematicum, vel naturalem intellectum. Quambrem & modum considerandi res ab ipso legislatore, dictum fuit iusti, & iniusti scientia: & sic quamuis res ferè infinitæ videantur: cum tamen ad vnum modum considerandi coarctentur, dicitur iuris prudentiæ vnam esse tantum subiectam materiam. Cum verò deinde de singularibus fiant lites, quæ secundum speciem sunt determinatæ in lege; quo pacto diiudicandæ deinde sint, à nobis inueniendum

est

est per legum omnium adeptam, perfectamq; cognitionem atque prudentiam: cum enim indiuidua sint infinita atque continuo oriantur, & occidant, non possunt aliter quam secundum speciem comprehendi; qui ergo hanc facultatem diuersis repetitionibus in varias partes iam distractã, atque dispersam, in infinitum etiam trahere student, desperatum opus aggrediuntur. Cum itaque ius finitum sit, & debeat esse; facta vero infinita, satius erit iuxta sententiam legislatoris, operam dare vt legum cognitio ea sanctitate, ac serie qua sancita fuit, & in lympido fonte Pandectarum vniuersaliter collecta hauriri valeat: hoc enim pacto singulares casus, qui quotidie de nouo in infinitum emergunt poterunt per ipsum ius, & prudentiam, & artem insitam optimis hominibus diiudicari: sed vt reuertamur, vnde discessimus, alio principio sumpto dicendum est.

SECTIO IX.

BONORVM *alia sunt laudabilia, vt virtutes morales, ab ipsarum namque actionibus laus emergit: alia vero honorabilia: vt sunt quæ ad res diuinas, & ad mentem spectant ob diuina, humana facta sunt: finis vero bonorum est ipsa felicitas, quæ ex multis bonis constat, qua adepta nulla alia re nobis amplius opus est: vnde cum ad supremum bonum omnia ferantur; ipsum verò feratur ad nullum principium vniuersi, atque finis idem est: id autem, vt inquit Plotinus, nihil aliud est quàm ipsum bonum: oportet ergo actiones humanas vniuersæ naturæ æquo animo ob*

tem-

temperare, seque ipsas ad superiora conferre: nam cum homo sit ipse animus, & totum animi bonum, quod in prudentiam virtutem, & voluptatem distribuitur: totum vero malum in prauitate consistat, consequens est vt homo per virtutem absolutam beatus euadat: quamobrem cum duæ sint animi partes vna irrationalis, altera quæ habet rationem, habitus quoque earum duo, quorum alter est appetitio, alter mens: irrationalis verò duplex quarum vna existit, quæ rationi, vt dicto patris audire, & obtemperare potest, cuius diximus esse virtutes illas, per quas vir bonus fieri dicitur: altera vero omnino irrationalis: quando ergo vt in Republica inquit Plato, singulæ animæ partes quod suum est agunt, & iustus erit & sua peragens: nam cum natura sit quoddam dominabile, aliud regibile, aut populare, & iustum, & vtile, rationali potentiæ conuenit imperare cum sapiens sit, geratque potius animæ prouidentiam. Cum itaque prudentia in sola rationali, fortitudo in irascibili, continentia verò in concupiscibili sit, in cunctis partibus simul temperantia, atque iustitia: vtraque dicitur totius animi consonantia: sed temperantia quidem in affectibus, iustitia in actibus, consonantia est. cum itaque vt inquit Proclus, tale sit ipsum iustũ merito pulchram efficit animam: id enim quod perfectum est, atque mensuratum naturaliter pulchritudo consequitur: sicut immensuratum, indeterminatumq; deformitas comitatur. iustum igitur est natura pulchrum. denique ipse mundi faber totum hoc per iustitiam expleuit: pulcherrimo enim nodorum omnium nodo deuinxit mundum, indissolubilemq; effecit propter proportionis potestatem

con-

continentem ipsum, sibique amicum vndique faciente. nam sicut artifitiosissima omnium dispositio simul, & motio aliter effici nō potest, quàm diuinæ spiraculo mentis; ita & animalium simili quadam ratione naturæ nō superiora tantū; sed etiam infima membra fiunt, atque reguntur: male ergo Homerus, qui Diis & rixas, & imprudentiam, & inuidiam, & alios huiusmodi affectus aliquando attribuit, qui naturæ diuinæ omnino repugnant; nisi fortasse dicamus, per Deas, Deosque intelligere Homerum virtutem illam diuinam, quæ à Pallade, aut ab ipsa Minerua, aut ab aliis Diis è cælo in Heroibus infusa erat: vnde cum Heroes sint semidei; sicut eis assistente virtute Heroica Palladis, præclara agebant: ita etiam eiusdem Deæ absentia, vt terrestres homines mala perpetrabant. cū itaque videamus non solum vsque ad homines diuinam prouidentiā prouenire; sed etiā, vt inquit Plotinus, infra hominem ad minima quæque descendere, existimandum certe est communem hunc ordinem vniuersum non esse diuinitatis, iustitiæque expertem: sed exactissima quadam ratione, quod conuenit vnicuique reddere: causas tamen in se latentes habere. sicut igitur habent singulæ lineæ, quæ sunt in circulo suum in cētro principium: ita nos quoque diuinum tāgimus, congredimur, copulamur: quatenus nos illhuc intelligēdo conferimus. quapropter definitio iustitiæ tradita dicetur analogice de iustitia humana, atque diuina; vnde per voluntatem explicata fuit: ipsa enim voluntas, vt inquit Plotinus, ipsa intelligentia est: sed est appellata voluntas: quoniam secundum intellectum videtur existere: etenim quæ voluntas dicitur ipsum quod secundum

dum intellectum est, imitatur; voluntas enim bonum vult: vere autem intelligere est in bono: intellectus igitur habet quod voluntas expetit, quodque consecuta iam ea ratione euadit intelligentia: sicut igitur res humanæ ad diuinas immortali quadam lege, & fato à suprema prouidentia ordinatæ, atque coniunctæ fuerunt: ita etiam homo cum sit in terra mortalis Deus debet ex hac serie causarum, & diuina gubernatione suas actiones iuste gubernare: non immeritò itaque in vniuersum, & nõ in parte accipiendo res vt ff. de diuisione rerum factum fuit inquit. Prudentia est rerũ humanarum, & diuinarũ notitia, iusti, & iniusti scientia.

SECTIO X.

AMPLIVS *si prudentia non sit teste Arist. vi. Eth. scientia: est enim vltimi; tale enim est quod sub actionem cadit, & sic intellectui opposita est: ille enim est terminorum vniuersalium, quorum nulla ratio est: hæc vltimi, cuius non est scientia: sed sensus: quo pacto iuris prudentia erit iusti, & iniusti scientia? Respondetur eius prudentiæ, quæ circa ciuitatem versatur, alteram esse, vt Architectonicam, quæ est legislatrix: alteram autem particularem, quæ communi nomine ciuilis appellatur, atque actiua & consultatiua: decretum enim vtpotè extremum agẽda res est. cum verò potentia rationalis, vt inquit Arist. sit eadem contrariorum, dictum fuit iusti, & iniusti scientia: dicitur vero scientia esse eadem contrariorum non quod æqualiter sit scientia de ambobus contrariis: quoniam vt*

inquit

inquit Aphrodisæus Alexander semper est eius contrarij quod perfectius est: sicut est illud quod habet rationem habitus: sed quoniam cognito habitu cognoscitur etiam priuatio, quæ est absentia habitus; ideo dicitur eamdem esse cognitionem contrariorum: sicut idem est sensus luminis, & tenebræ; boni, & mali: ita etiam cognitio est ipsius iusti: vnde illud quod non cognoscitur sub ratione iusti dicitur esse iniustum: nam cum iustum, & iniustum opponantur vt habitus, & priuatio, in eodem subiecto habent rationem contradictionis: ideo per cognitionem habitus cognoscitur priuatio: recte itaque dictum fuit, iusti, atque iniusti scientia, cum cognitio iusti sit cognitio iniusti: non quidem ad consecutionem sicuti est de ipso iusto: sed potius ad fugam: nulla enim facultas est gratia mali: cum vero, vt supra expositum est, iustitia vniuersalis comprehendat omnes virtutes, quæ in medio semper consistunt: iniustitia etiam omnia comprehendet delicta, atque vitia quæ in extremis circa excessum, vel defectum semper consistunt: sicut in ipsa iustitia particulari est pluris, vel minoris vsurpator: quamobrem vt boni redd antur homines, discernente legislatore licitum ab illicito, dicta fuit lex commune præceptum virorum prudentium, consultum delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coerctio. ff. de ll. l. i. vnde vt inquit Arist. in arte dicendi ad Theodectem; pacta cum legitima sunt à legibus cõprobantur: leges vero non approbantur à pactis: est ergo lex commune præceptum, quo præcipitur nobis honeste viuere, alterum non lædere: ius suum vnicuique tribuere: ideo dictum fuit legem esse orationem quandam, quæ communi

F ciui-

ciuitatis consensui definita iubet, quo pacto vnum quodque agendum sit: cum vero eius prudentiæ, quæ circa ciuitatem versatur, altera sit, vt diximus, præses, quæ est legislatrix: ob id prudentiam hoc pacto accipiendo dictum fuit de lege esse commune præceptum virorum prudentium consultum; nam cum homo sit suarum actionum principium; consultatio est de his quæ ab ipso homine agi queunt: actiones autem aliorum causa fiunt. non est enim consultabilis finis, quandoquidem legislator non consultat an bene legibus institutam patriam reddere debeat: sed hoc præhabito, ea in consultationem veniunt, quæ ad ipsum finem spectant: hæc autem particularia esse nequeunt, cum ad sensum spectent: nam si semper consultaret quispiam in infinitum progrederetur: de æternis etiam nemo consultat, neque de his quæ aliter euenire non possunt, vt de solstitiis, atque ortibus, neque etiam de his, quæ fortuna contingunt, vt de inuentione thesauri: sed neque de humanis omnibus consultamus: vt puta quomodo Scytæ optime administrare Rempu. possint, nullus ex Lacedemoniis consultat, nihil enim ex his huiusmodi est vt agi per nos ipsos valeat. consultamus autem de agēdis rebus, atque his, quæ in nostra sita sunt potestate: hæc enim restant; quippe cum causæ nullæ aliæ esse videantur quàm natura & necessitas, & fortuna; mens præterea atque omne id, quod per hominem agitur: vnusquisque autem de his quæ per ipsum agi possunt consultat. consultatio ergo de illis est, quæ vt plurimum quidem fiunt; incerta tamen sunt quo modo euadant, & in quibus indeterminatio existit: vnde circa exquisitas, & certas scientias non est consultatio: non

enim

enim dubitamus quomodo scribendum sit, at si neque de rebus æternis, & diuinis, neque etiam de humanis omnibus, vt sunt ea, quæ aliter esse non possunt, non est consultatio: quo pacto ergo dictum fuit iuris prudentiam, quæ versatur circa consultationem, esse rerum diuinarum, & humanarũ notitiam? An res diuinæ, vt finis voluntate appetibiles sũt: consultabilia vero, & agibilia, quæ ad finem spectant, vt sunt actiones, & res humanæ, si iustæ fiant, faciunt ad comparandam diuinitatem ipsam, in qua est eorum finis atque nostra felicitas? considerantur ergo res quarum notitia est iuris prudentia, vt sub iustitiam veniunt eadem etiam ratione non obstat dicere iustitiam esse voluntatem, quæ est ipsius immortalitatis, & ipsius finis, vt inquit Aristot. qui non est consultabilis quasi iustitia non esset eorum; quæ sunt ad finem, quæ tantum sunt sita in nostra potestate: sed de ipsis finibus. sciendum itaque est in quibus in nostra potestate situm agere: situm est etiam non agere: & in quibus non agere simili modo etiam agere. quapropter si agere cũ honestum sit in nostra est potestate, non agere quoque, cum turpe sit in nobis erit collocatum: in nulla enim alia principia iii. Eth. referre actiones nostras possumus, quàm in ea, quæ in nobis sunt, quorum autem principia in nobis sũt, etiam ipsa in nobis esse, & spontanea necesse est: ob id non immerito dictum fuit in definitione legis, delictorum, quæ sponte, aut ignorantia, &c. nam vt inquit Arist. iii. Eth. legumlatores eos, qui mala perpetrant, gastigant, & puniunt: si tamen neque ui coacti, ea agant neque ex ignoratione, cuius ipsi sibi causam nõ exhibuerint: nam ob igno-

rationem etiam puniunt, si sibi ipse ignorationis causa quispiam fuisse videretur: ob id ratione ebrietatis sponte perpetratæ: in ipso enim, qui inebriatur, principium est, & causa, vt non inebrietur, & ratione erroris ob ebrietatem secuti, duplex pœna iam à Pittaco Mytileneo, vt inquit Arist. non immerito instituta fuit: eos quoque, vt idem Arist. inquit, leges puniunt, qui aliquid eorum ignorant quæ ad leges pertinent, quæ quidem & sciri debeant, & difficilia non sint: simili modo etiam in aliis quæcunque ignorare per negligentiam videntur: eo quod in ipsis sit non ignorare: quamobrem cum virtus circa affectus actionesque versetur, cumque in spontaneis laudes, & vituperationes in inuitis, aut ui, aut ignorantia, existat venia: interdum etiam misericordia: ideo dictum fuit delictorum quæ sponte, vel ignorantia perpetrantur, &c. cum verò malum sit infinitum, peccare multis modis contingit, at cum determinatum sit bonum, recte agere est tantum vnico modo: ob id numero vnitatis dictum fuit bonum in ratione iuris; at nomine multitudinis appellata fuerunt delicta in definitione legis, diuersum autem est ex ignoratione, & ignorantem agere: qui enim vel ebrius est, vel iratus non videtur ex ignoratione agere, sed ob aliud quidpiam: quippe cum non sciens, sed eo tempore ignorans: cum igitur in vita ea sint iii. Eth. quæ aut vi, aut ignoratione, cuius ipse causa non fuerit, efficiuntur: violentum enim id est, cuius principium extrinsecum huiusmodi est, vt ei neque qui agit, neque qui patitur quidpiam conferat, spontanea ea esse videbuntur, quorum principium est in eo, qui agit particularia cognoscente, in quibus

bus actio consistit: quandocumque verò timore maiorum malorum mala committuntur; vt in iacturis contingit; quæ in tempestatibus fieri consueuerunt; nemo enim sponte sua abiecit: sed ob salutem, tum suam, tum aliorum; omnes modo mētis compotes sint, facere videntur, mixtæ huiusmodi actiones sunt, spontaneis tamen magis aßimilantur; quippe cum eligendæ sint; sed cum legumlatores eos, qui mala perpetrant, castigent, eos autem qui honesta agunt, honoribus persequantur, vt & inuitent, & illos prohibeant, & præstantius, ac eligibilius sit honore affici; cur ergo non definita fuit lex à præstantiori ratione? Respondetur hoc factum esse, quoniam leges, non propter probos factæ sunt: si enim omnes homines essent iusti, fortes, temperantes, & liberales, non opus esset legibus: sed quoniā rari tales sunt; ob id vt sint, ac fiant leges latæ fuerunt, & sic ob transgressores hoc pacto explicata fuit lex. amplius, si quod principi placuit legis habet vigorē ff. de constitutione principum l. i. cur vltimo loco dictum fuit in definitione legis communis Reipublicæ sponsio? vt autem solutio clarior elucescat; sciendum est, quod cum lex nulla alia ex causa teneat, quàm quod iudicio populi præcepta sit: idcirco cum populus ei, & in eū omne suum imperium, & potestatem conferat l. adducta eiusdem. T. quod principi placuit legis habet vigorem. quā ob rem sicut princeps vt princeps est iustus, atque viua lex: ita etiam respublica cum sit institutio gubernatorum quarto Polit. est iusta: nam ex legibus, & non ex quercu conflatur: & quāuis sint species reipublicæ plures iiii. Polit. consideratio tamen nostra est de optima Repub. ea verò est

vii.

vii. Polit. per quam ciuitas esset maximè felix: felicitas vero sine virtute existere non potest: ideo cum tria sint, quæ circa æqualitatem Reipub. contendant, libertas, diuitiæ, & virtus: nam nobilitas cum antiquæ diuitiæ, & virtus duobus consequens est iiii. Polit. finis optimatum virtus est: sicut paucorum diuitiæ est popularis libertas. cum itaque tres sint, teste Arist. in Polit. Reipub. species rectæ. Regnum, optimatum, & ea quæ appellatur Resp. ac vtraque illarum per virtutem consistat: idcirco eadem forma gubernandi existente secundum virtutem, eadem videtur esse ciuitas, & regnum; vnde variata Reipub. gubernandi forma, & alia effecta, necessarium vtique videretur ciuitatem quoque non eãdem permanere: sicut chorum alium esse dicimus dum Thragicus est, quàm dum Comicus, licet idem sint homines: eodem etiam modo omnem aliam societatem, & compositionem, si species compositionis alia fiat, ceu Armoniã earumdem vocum, aliam esse dicimus, & Modo Doricam, modo Phrygiam vocitamus: sicut ergo eædem sunt lineæ, quæ in circumferentia in plures diuiduntur, & in centro vniuntur: ita etiam iusta gubernatio aut in Rege colligatur aut Reip. sit impartita eadem tamen secundum formam est omnium consensu: vnde dubitatio adducta euanescit. quapropter cum supremus sol iustitiæ vndique radiis diffusis, qui ab hominibus solum recipiuntur, præbeat esse his quidem obscurius, aliis verò illustrius: intellectus humanus lumine diuino illustratus atque eidem prouidentiæ coniunctus, omnia etiam humana atque diuina videndo, haurire poterit iusti, & iniusti notitiam atque prudentiam: vnde ob hanc

hanc iustitiam, quam in concilium vocare Deos fecit Homerus; cogita inquit Plot. fontem principium aliud non habentem, fluminibus vero se totum tradentem, nec tamen fluminibus exhaustum: sed in se quiete manentem: flumina verò ab ipso fluentia atque aliud alio fluat; adeo vna manentia, & quasi iam cognoscentia, qui ab ipsis fluxuri sint riguli. hinc itaque ex bono humano adipiscitur diuinum bonum, quod cum inspicimus, tunc denique nobis finis optatus, requiesque contingit: diuinumque reuera chorum agimus circa illud: cum enim vt inquit Plato libro de legum latione, duplicia bona sint, alia humana, diuina alia, dependeantq; B3 à diuinis humana: prudentia diuinorum bonorum prima existit: deinde quoad mentem temperatus animi habitus: ex his duobus cum fortitudine iustitia tertio emergit: fortitudo quartum tenet locum: vnde cum ob conuersionem animæ humanæ ad supremum solem tamquam ex stirpe magna Deorum, vt dictũ fuit de Hectore, oriantur in mundo morum splendidæ virtutes, ideo ob consilium arma, & fortitudinem è cælo afflatam, Achillis caput, assistente Minerua, splendorem vndique supra omnes emisit in aerem vnde dictum de eo fuit.

Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὦρτο Διῒ φίλος ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
Ὤμοις ἰφθίμοισι βάλ' αἰγίδα θυσανόεσαν
Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
Χρύσεον, ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.
Ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται
Τηλόθεν ἐκ νήσου τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται,
Οἵ τε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται ἄρηϊ,
Ἄστεος ἐκ σφετέρου, ἅμα δ' ἤτριῷ καταδύντι

Γυρσοί

Πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι, ὑψόσε δ' αὐγὴ
Γίγνεται ἀΐσσουσα, περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι,
Αἴ κέν πως σὺν νηυσὶν ἄρεος ἀλκτῆρες ἵκωνται·
Ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανε.

Oportet itaque, vt legum quoque lator, & ipse hunc ordinem sequatur, & mandet omnibus, vt semper adhæc ipsa respicientes in singulis operentur: humana enim ad diuina, diuina verò ad mentem principem referendam: nam ratione ipsius optimi leges semper ferendæ sunt. quapropter legum optimarum officium esse dicimus. inquit Plato, ita animos hominum instituere vt oderint iniustitiam: nobis enim legum hunc finem sanctio respicit, vt felicißimi ciues sint, ac maxime inter se amici. cum ergo finis ciuilis facultatis optimum quiddam sit: rerum vero omnium humanarum felicitas optima est: ex diuinißimis enim rebus felicitas est: quippe cum præmium virtutis, & finis quoddam, & diuinum, beatumque esse videatur: idcirco ad omnem vitam opus est legibus, per leges enim curæ publicæ, atque honestæ per honestas fieri cõsueuerunt x. Eth. vt autem à pueritia quis institutione recte ad virtutem instruatur, difficile est nisi sub talibus legibus fuerit educatus: oportet enim mores prius virtuti esse accommodatos: vt & honestum diligant, & abhorreant turpitudinem: hoc enim pacto euadere felix ciuitas potest, ac sola mente viuendo ex intellectu diuino ipsoq; bono rerum omnium principio atque fine pendere: cũ enim beata vita, quæ solum vita est, in ipsa primi diuinique boni possesione ponatur, nõ prius intellectus felix erit, quàm diuinus intellectus: quæ nostra felicitas est, nobis coniunctus fue-

fuerit. cum itaque animus de iustis pulchrisq; consultet atq; inquirat, num hoc sit iustum, numquid hoc sit pulchrum, necessarium est stabile quiddam iustum esse similiterque pulchrum: vnde ratiocinatio in animo ducat exordium: alioquin discurrere numquã posset, ac si animus interdum circa hæc discurrat: alias verò minime, oportet non naturam quidem hanc discurrentẽ: sed vt Plotinus inquit mentẽ in nobis esse, quæ iustũ, pulchrumque semper habeat, cuius mẽtis principiũ, atq; causa est ipse Deus tamquã centrum: vnde de anima, scriptũ fuit in Phædone tum condere caput intra cælum, tũ extra cælum caput extollere, ob cuius sublimẽ splendorem pseudophilosophi excecati in candida philosophia densissimas asperserunt tenebras: peruersaque de anima ac Dei prouidentia sentiendo animaliũ vitam; tamquã humana, ne dicã diuina indigni spõte sibi eligerunt. quamobrem, vt idem Plotinus, ait intellectus est ens ipsum intelligens ipsumque ex cunctis cõpositum, nec quiddam ex generibus vnũ, nempè verus intellectus ens est vna cũ omnibus, in quæ entia cũcta: ens autem si solum nudum accipiatur, velut genus assumitur intellectusq; ipsius est elementum: iustitia vero, & temperãtia virtusq; omnino actus quidã intellectus omnes sunt. quapropter cum circa omnium Regem sint omnia diuina prouidentia distributa, illiusq; gratia omnia ipse est pulchrorũ, ac iustorum causa omniũ: idcirco ob huiusmodi ad vnum coordinationem ab homine cõprehensam, iurisprudentia dicta fuit rerum diuinarum, atque humanarũ notitia iusti, & iniusti scientia: vnde Plato dixit nihil Deo similius esse, quàm iustissimus homo: hinc etiam emanauit constans illa, & perpetua voluntas iustitiæ, qua vnicuique redditur quod suum est: &

si aliquod indiuiduũ ob rerum nouitatem latuit legislatorẽ, successit ars boni, & æqui: nam iuris præcepta sunt honeste viuere, alterum non lædere, & suũ vnicuique tribuere. quapropter lex dicta fuit commune præceptum virorũ prudentiũ consultum. Legis autẽ species quattuor vidɩntur, prima Diuina, quæ apud Platonem prouidentia est mentis diuinæ: secunda cælestis sicuti est factum: tertia mouens, quæ Natura dicitur: quarta Humana, quæ prouidentia naturalis mentis humanæ existit, quam Regiam legem appellat Ficinius superni regis imitatricem; Unde Arist. vii. Polit. inquit legis positionem necessarium est esse bonã ordinationẽ: vnde cum multitudo magna non possit recipere ordinationem: diuina potentia necessaria fuit, quæ & hoc totum continet: perinde vt inquit Plotinus, intellectus mundo superiore fatale habet illud assidue permanere, quatenus & huc aliquid inde dimittere tum verò singula communi subiecta gradatim inde mittuntur: insita namque est vnicuique norma communis, ipsaque lex nequaquam accipit ab extrinseco sui muneris absoluendi potentiam: sed ea prorsus condicione tradita est vt ipsis vtentibus insit eam passim circum ferẽtibus. Lex namq; diuina ineuitabilis est: simul in se ipsa continens facultatem iã quicquid iudicatũ fuerit, faciendi: idcirco vt inquit Aphrodisiensis Ale. primæ secundũ naturam generationis singulorũ causæ diuina ipsa & harũ orditissima circulatio & Fati quoq; causas easdem dicũt: sed si quæ fato fiunt secundum seriẽ causarum, & secũdum diuinũ quẽdam ordinẽ fiunt: lex ergo sicut etiã prudentia funditus auferretur: quod omnino falsum existit: solus enim homo ex omnibus animãtibus in suo arbitrio habet vt agat quoniã non

agẽdi

agēdi idem potestatem quoq; habet. Quamobrem cū in eius voluntate posita sit electio agendorū deliberare, & iudicare in eius est libera voluntate. quādoquidē in actiua parte actio deliberationis, & cōsilij conclusio fit: ob id licet rationabiliter posset quispiā dicere propriam naturā quod fatum est, principiū vnius cuiusque, & causam esse ordinis secundum naturā eorum, quæ in ipso fiūt: ab hac.n. vt Aphrodisæus Alex. libro de fato inquit, magna ex parte vitæ hominū ordinem exitumq; suū accipiunt, more tamen, qui secūdum Eraclitū, est hominum dæmon atque natura quoties aliquid melius in vita incontinentiū factum est ab ea, quæ secundū naturā remouet: quapropter licet Heroes, cū semidei sint, affectibus nō careant, illos tamē, ob claritatē generis, quæ supra nos est, Heroica, atq; diuina, superant, atq; extingūt: vnde non prius in potestatū numerum cōferre se animū, quam cuilibet ratione irrationales propēsiones redditæ itē fuerint; inquit Trisme. Quapropter siquis vt vii. Eth. habetur, ex hominibus ob virtutis excellentiā diuini efficiuntur, quod vix centū in mūdo contingit huiusmodi, quidā esset habitus qui feritati opponitur: ob id Homerus Vlixi opposuit Cyclopes Caribdim, & aliorū diuersorū generum mōstra, quorū immanitas atque natura færina heroicæ virtuti opposita, ab eius inclyta prudentia delusa fuit. Cum itaque non omne ex necessitate fiat, homo facultatem consultādi habuit; vnde vt honestā duceremus vitam, potentiā cōndendi leges à principio sortitus fuit. Recte itaq; dictū est legem esse cōmune præceptum virorū prudentium consultum, delictorū, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coerctionem, communem reipublicæ sponsionem.

LAVS DEO.

IVLII FERABRACCII ARRETINI

Ad Lectores.



OST confusa velut rerum primordia lumen
Emisit terris Attica Diua prius.
Lympharum ceu præses, & alto vertice nata
Concertare suum nomen, & auspicium.
Nubibus eiectis ità nunc Astræa nitorem
Hac fundit mirum fulgida luce nouum.
Sunt æquè dubiæ lites; an nominis auspex
Sit pacem æternam, vel rea bella ferens:
Ast confert ambobus opem; quòd iungere Pallas,
Neptunusq; sacrum debeat auspicium.
Fulgorem Natura nouum miratur, & inquit.
Hem nimia præstat viribus arte meis
Monstra Stagiritæ, diuini & Aristoclis alti,
Ter summiq; vno cernere iuncta datur.
Gaude Magne Bifrons, gaude Vertumnia Coniux:
Areti nomen ducimus vnde vetus,
Nempè benignus adest antiquæ Iuppiter vrbi,
Splendoresq; sacros erigit orbe nouos.

Errata sic corrigito.

Libartitum lege bipartitum pag. 3. ver. 24. auten. aut. S. C. pag. 10. ver. 20. St. .S.C. pag. 10. ver. 21. Si. .C. pag. 11. ver. 14. Animantibus desideratur. Bestiæ pag. 14. ver. 9. Cum, vim pag. 14. ver. 16. Cura. iura pag. 16. ver. 2. .i. vacat pag. 18. ver. 8. &c. vacat. pag. 18. ver. 8. Prædictis Præditus pag. 24. ver. 12. descendit desideratur Ius. pag. 25. ver. 20. Et. ob. pag. 28. ver. 22. Potius totius pag. 30. ver. 16.

Die viii. Augusti. MDLXXIIII.
Hoc Opus Morale Iuxta Peripatheticorum mentem Domini Petri Caponsacchi approbamus, & licentiā imprim. concedimus:
Ita est F. Franciscus de Pisis Gener. Inquisitor Dominii Florentini.

FLORENTIAE,

MDLXXIIII.

1

DE LEGVM NOBILITATE, EARVMQ; SCIENTIAE Præstantia, Atq; Vtilitate.

ORATIO.

ANGELI FAVILLAE I.C. FLORENTINI,
Et in Almo Pisano Gymnasio Iuris Cæsarei
Interpretis.

Pisis habita in studiorum auspicijs 4. Non. Nouembris, Ann. MDCXI.

Ad Legalis Philosophię Studiosam Iuuentutem.



Florentiæ, Apud Volcmarum Timanam.
Superiorum permissu, 1612.

ANGELVS FAVILLA I.V.D.
Florentinus

Cupidæ Legum Iuuentuti. Sal.



HANC de legum laudibus orationem, quam præterito anno publicè Pisis habui, nunc vobis (Iuuenes studiosiss.) his præcipuè de causis patefacere decreui. Vt scilicet vestrorum multis eam petentibus satisfacerẽ, & vt quantum in me est ad legalis philosophiæ studia tyrones excitarem. Non enim legum nobilitatem, vtilitatemque ostendere, aut earum excellentiam dicendo aliqua ex parte augere volui. Etenim sicut optimè scio me ad id efficiendum nullius ferè momenti esse, ità non me fugit quemlibet etiam maximæ gloriæ oratorem leges extollentem illi similem fore, qui immensam Maris vastitatem, ac Solis lucem demonstrare vellet, eisque aquam, & splendorem addere. Quarè id tantum agere statui, vt ipsius legis pulcritudine, ac maiestate vestros animos ad eam toto pectore ample-

Eten-

ctendam inflammarem. Quemadmodum corporis formositas, seu animi commendata virtus nos ità allicit, vt eos etiam, quos nunquam vidimus (vt aiebat Cicero) amemus, & sequamur. Hoc igitur munusculum hilari fronte accipiatis, paruū est, non inficior, si illud in se respicitis, at si eum tanquam meæ erga vos propensionis specimen, vt verius est, considerabitis, quodq; in eo vobis promictitur animaduertetis, non dubito quin maximum, omnibusq; aliis dignius, ac pretiosius fateamini. Valete Florentiæ 4. Kal. Septemb. MDCXII.



DE LEGVM NOBILITATE, EARVMQ; SCIENTIAE PRAESTANTIA, *Atq; Vtilitate.*

ORATIO.

Angeli Fauillę. I. C. Florentini.





I quanta est legum nobilitas, earumq; facultatis præstantia, atq; vtilitas (Auditores ornatiss.) tanta mihi quoq; inesset dicendi copia, ac facundia, sperarem hodierno die prouinciam hanc, quæ veteri consuetudine recepta est, laudandi scilicet ea, quæ ad amplificandam honestarum artium dignitatem, & ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent, magnificè, ac luculenter absoluere. Verum cum ea omnia, quæ ad dicendum attinent mihi deesse videam ingenium, doctrinam, atq; autoritatem, non possum non magnopere commoueri, animoq; pertimescere. Illud tamen, &si auxiliis istis omnibus caream, valdè me adiuuare pro comperto habeo, quod de illa scientia sum dicturus, quam uerè, ac meritò bonorum fontem nominare possumus. Quare sicut non ignobilis quidam Poeta facilè ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaq; laudum argumenta repe持iuntur, ita non arduum, aut difficile mihi videtur, licet infanti, atq; indiserto, legem commendare. Et vt factu haud perdifficile esse fertur Athenięses Athenis laudare, quod-

quę vnusquisq; amat, ea laudari vehementer cupit; sic & ipse mihi videor faciilimè laudibus celebrare posse apud vos ea, quæ vobis omnibus in amoribus, ac deliciis esse cognosco. Quo circa dicā breuiter, & modicè de legum, ipsarumq; sciétiæ nobilitate, deque fructibus, quos illæ suis cultoribus pollicentur, Neque mihi valdè laborandum est vt noua conquiram, cum iis, in rebus mea versatura sit oratio, in quibus tot celeberrimi, atq; in omnium virtutū genere præstantissimi viri ita se exercuerunt, vt nihil me vnquam allaturū esse sperem, quod ipsi antea ornatius, ac copiosius nō dixerint. Sed si vera, & vtilia, huius loci auctoritate, ac vestris auribus digna attulero, licet non ita disertè, atq; ornatè a me disposita, ac prolata fuerint aliqua tamen cum laude me dixisse arbitrabor. Primum igitur si non artium modò, sed omnium omninò humanarum rerum dignitas, atq; præstantia ex causæ nobilitate desumi debet, & hæc quanto præstantior, ac diuinior est, tanto illius effectus dignior, cęterisq; excellere iudicatur, quis vnquam reperiri potest tanta vi præditus ingenii, tantaq; eloquentiæ copia instructus, qui se de lege pro ipsius dignitate verba facere posse confidat? Hęc enim, auditores ex præpotentis Dei sinu ante omne temporis spatium, ac in infinito æternitatis momento orta est. Etenim cum lex nihil sit aliud nisi quædam recta ad bonū ordinatio, & quid quid boni, rectiq; nomen habet ex eo, quod Deus ipse vult originem ducat, quis non videt legis formam diuinā esse voluntatem, ipsamq; vires accipere non ex hominum, arbitrio, sed ex sua lege in rebus productis manifestata? Ad quā si conformetur, veriq; boni rationem habeat lex dicitur sin autem ab ea differat (vt iniusta præcepta) nō lex, sed violentus ac tyrannicus actus appellatur. Atq; ob id [vt refert romanæ eloquentiæ parens] quia lex à summo est bono, & rursum in idem refluit, hinc veteres legum latores earum inuentionem esse diuini muneris arbitrati in diuersorum Numinum vim referre non dubitarunt. Veluti Zoroastres Bactrianis, Persisq; leges tradens, in Oromasin. Trismegistus Aegyptijs in Mercurium, Charondas

Car-

Carthaginienſibus in Saturnum, Licurgus Lacedemoniis in Apollinem. Draco, & Solon Athenienſibus in Mineruam. Mahumeth Arabibus in Gabrielem Zamolxis Getis in Veſtam. Minos Cretēſibus, vt vulgatior fama tenet, ac Parrhaſii monumentis traditur, in Iouem. Aliique in alios quos, ne in ipſis recenſendis tempus conteratur, conſultò prætermictere iudicaui. Qua de re optimè hæc omnia intelligens diuinus ille philoſophus diuinitus ait ſeruantem legem Deo obedire. Leges enim & ſi ab hominibus iuxtà varios ciuitatum mores, diuerſaſq; neceſſitates conſtituantur, non tamen illos ipſarum autores, ſed cognitores tantum, ac promulgatores eſſe facilè dignoſci poteſt. Cum rationis duce, quę etiam donū Dei eſt particularibus cauſis verum, ac bonum aptent, quod legis eſt eſſentia, oriturq; ex voluntate illius qui non ſolùm humanarum legum eſt princeps, ſed & naturalium, illarumque etiam, quæ ad puriſſimas, incorruptibileſque mentes illas attinent, nec non propriarum legum prouidentiæ, quę nil aliud ſunt niſi propria voluntas, ac bonitas ab eodem Deo non ſeiuncta. His legibus quamuis ſummus vniuerſi monarca omnem hunc mundum regat, rebuſq; conſulat humanis, non tamen exiſtimandū eſt omnia indifferenter ab ipſo ordinari, atq; diſponi, ſed ſingula eiſdem legibus, licet non eodem modo rectè, accomodateq; iuxtà vniuſcuiuſq; propriam diſpoſitionem. In quo liceat mihi per humanitatem veſtram aliquātulum morari, citò enim ad id deueniemus, de quo dicturi ſumus, ad cognitionem inquam excellentiæ, vtilitatis, ac neceſsitatis illius, quæ propriè à nobis lex dicitur, omniq; eo, quod noſtrę contigit voluntati ordinem pręſcribit, vitamq; ad rectam rationis normam præcipuè dirigit, atq; perducit. Deus igitur ſuæ bonitatis lege nihil præter ſe ipſum reſpiciens, & ſi nulla re indigeret, ſibique ipſi totum eſſet, hanc tamē mundi machinā ab æterno producere ſtatuit, variarumq; in eo ſpecierum ordines contineri voluit, ac vnicuiq; proprias virtutes tribuit, atque operationes. Ita vt alię abſq; materia illi ſimillimæ liberè operarentur, alię verò materiei

 coniun.

coniunctæ partim propria, partim aliena voluntate, homo autem inter vtrasq; positus intellectu, quo Deo proximus est liber esset, ac sui dominus, corpore verò subiectis, ac inferioribus naturis inhereret, vt ex hac varietate maximo ornamento, ac pulcritudini vniuerso esset. Hę leges non ęreis, marmoreisq; tabulis insculptæ, sed antequam terra suis in finibus lapides, ac metalla conciperet, in æterni, summique totius orbis opificis mente conscriptę in temporis natiuitate patefactę, ac promulgatæ fuere. Quapropter proprias leges vnaqueq; res creata obtinuit, quibus parere perpetuò debeat, adeo vt non tantum cœli, verum etiam ea omnia, quæ sub orbem Lunę subiecta sunt, certo ordine, atque immutabili quadam lege gubernarentur. Hinc factum est, vt cœlestia corpora, ac elementa omnia, quibus vniuersum cōstat suas assiduè exerceant operationes, ita vt cœlum inuariabili, velocissimoque motu ad productionem, coagmentationemque cæterorum corporū concurrat, calefaciat, ac se in altum eleuet ignis, terra verò frigefaciat, ac descendat, reliqua duo aer, & aqua ex his extremis participent. Hinc factum est, vt vnumquodque eorum propria sede, ac regione contentum in alienas irruere, ac migrare non conentur. Ex hoc etiam clarè inspicitur non alia ex causa, nisi quadam ipsius naturæ lege sancitum esse annum in quadripertita tempestatum varietate distingui, telluremqne hiberno frigore adstringi veris autem temporibus laxari, fruges, fructusque arborum æstiuis caloribus percoqui, in autumno denique mitesci. Et quis nam dubitare potest hominis animam sicut à Deo optimo maximo inter res ab ipso creatas in altiori dignitatis sede collocata fuit, itaquoque ab eodem digniori lege non fuisse munitam? Sed quæ nam illius est lex? Hæc auditores præcipua, summaq; est; quę particulares amplectitur, nam cum omnia à natura producta totis viribus Deum imitari non desinant, vitaque, ac operationibus illius similia fieri, ita etiam homo eumdem finem toto pectore consequi semper studeat. Et quemadmodum Deus prima appellatur veritas, ac summa est bonitas, ita homo

naturali

naturali intellectus rationi obediens, veritatis contemplatione, honestisque operibus erga se ipsum, alios, ac sui creatorem perfectus efficiatur. Hæc lex in hominis anima à Deo scripta, cum primis vitæ temporibus non aspiciatur, ætatis verò progressu corporis sensus ob varia obiecta, tanquam delectabilia distrahantur, valdè propterea vtile, ac necessarium est, vt non solum confirmetur, ac publicetur, verum etiam particularibus legibus adiungatur, quæ tamen aut Dei debitum honorem, aut intellectus perfectionem, aut morales, ciuilesque actiones, aut vitæ, commoda publicę vtilitatis causa semper in se contineant. Quod cum ita sit, cumque vniuscuiusque legis proprium sit aliquem habere finem, velut vltimum bonũ, ad quem medijs congruentibus nos dirigit, quis nam dubitat tantam esse in lege nobilitatem, quanta in bono inuenitur? Quapropter hæc auditores absque vllo discrimine virtutũ omnium mater dici potest, cum etenim nihil aliud in se, nisi quod iustum est continere debeat, iustitia verò inter alias virtutes præcipuum obtineat locum, ac sine ipsa nihil honestum, nihil laudabile esse posit, perspicuè patet legem omnes in se virtutes comprehendere. Hanc etiam scientiarum omnium reginam nuncupari posse manifestè apparet, cum eius cognitio ad ea, quæ in philosophia, ac in theologia pertractantur nos facillimè ducat, quidque in illis ad optimam viuendi rationem, animique salutem traditur, totum in legibus miro ordine dispositum, definitumq; reperiatur. Philosophia cum à Marco Tullio in tres distribuatur partes, in naturæ obscuritatem, in disserendi vtilitatem, in vitam, atque mores, cumq; totam frugiferam, fructuosamque affirmet, nullum attamen in ea feraciorem locum esse ait, neque vberiorem eo, in quo de officijs agitur, à quibus constanter, honestèque viuendi præcepta ducuntur. Hæc autem vbi nam melius, quam in legibus inueniri possunt, aut ex quo facilius, quam ex illis acquiri? Sed quod magis est, si Plutarco credimus, philosophi condiderunt leges, illique philosophi, quos, vehementer admirata Græcia, septem sapientes appella-

runt, quique per populos, & ciuitates tanquam Dij alteri colebantur. Quamobrem non immeritò iurisperitissimus Vlpianus de legali scientia loquutus, veram philosophiam illam esse apertissimè affirmauit. Et si in sacris legibus de Deo multa nobis explicantur, multaque de rebus diuinis definiuntur, non ne de theologica scientia per illas cognoscere possumus? Eademque ratione si theologia, quia de Deo agit diuina nominatur, cur legum cognitio diuina etiam appellari nequiuerit? Ob id credo ego, auditores, iuris prudentiam definientes illam humanarum, diuinarumque rerum notitiam, iusti, atque iniusti scientiam esse optimè dixerunt. Et ex hoc, vt nonnulla de illius præstantia attingam, facilè nunc mihi patebit argumentum ad vobis demonstrandum legum facultatem scientiis omnibus (theologia vna excepta, ex quo Deum tanquam sui obiectum speculatur) quam maximè antecellere, ac nobilitate preesse. Gramaticam enim, Rhetoricam, Dialecticamq; quis non videt ad rectè loquendi instructionem tantum necessarias esse? Illas namque, vt Senecę placet, non discere, sed didicisse debemus. Astrologia verò, Geometria, Arithmetica, & Musica, & si veritatem in se continere dicantur, cum tamen pietatis officio careant quo pacto vnquam legali scientię comparari poterunt, quæ pro hominum salute, ciuitatumque incolumitate, vitaque & quieta, & beata obtinenda optimam, certamq; tradit rationem? Sed neque moralis philosophia maior, ac dignior ista dici potest, si quod summi philosophi inquiunt negare nolumus, notabiliorem enim, nobilioremque eam scientiam esse probant, per quam distinctam alicuius rei cognitionem habemus ea, quæ generalē tantum, atque confusam nobis notitiam affert. Lex verò non huiusmodi est, sed quamlibet hominis actionem ità sectatur, atque secernit, vt benefactis honores, & præmia, malefactis autem ignominias, & supplicia exactè constituat, nihilque in vita, siue corpus, siue animum respiciat, euenire possit, quod sacrarum legum constitutionibus, vel diuinorum canonum præceptis obstrictum non videamus.

mus. De medicinā verò quid dicam? Si tanto in honore ipsa est quod morborum leuationem habet, bonęque valetudinis, ac firmitatis tum effectrix esse, tum conseruatrix creditur, qui tandem honores illius scientiæ præstantia digni excogitari possunt, quæ non corporis, sed animi firmitudinem efficit, non morbos, sed vitia ipsis periculosiora expellit, non ualetudinem, sed iustitiā, veramq; gloriam, ac felicitatem tribuit, atque ostendit? Cęterum omnis scientia, qua animi motus, vel mores non curātur vana indubitāter dici potest, ac propterea leges cum ad mala detestanda, bonosque actus permouendos præcipuè inductæ sint, earum scientia perfectissima, aliisque omnibus excellentior semper erit existimanda. Sed ut de earū utilitate aliqua in medium afferam, quamplurima auditores, omictenda sunt, quę de illarū præstantia dici possét prius enim vox, tempusque deficeret, quam materię vbertas, & quidquid dicerē semper viderer omisisse pręcipua, quę etiam si dicerem, multa tamen maiora, ac præclariora dicenda fuisse uiderentur. Tanta igitur est legum cognitionis utilitas, tantaq; commodi magnitudo, ut nec domus ulla, nec ciuitas, nec hominū quælibet societas absq; earum scientia, ac exercitatione regi, aut cōseruari posse experientia ipsa omnibus manifestetur. Si uir uxorem non pro comite indiuidua uitæ, sed pro ancilla habere uelit, si uxor uiri partes præripere conetur, si uterque liberos in seruorum, seruos in pecudum loco habeat, si liberi parentibus, serui dominis obtemperare abnuant, quis unquā adeo mentis inops reperiri potest, qui nullam in domo ita instituta concordiam, nullam beneuolentiam, nullam animorum, uoluntatumque consociationem, sed omnia rixarum, discordiarumque plena perpetuò fore constāter, nō affirmet? E contra uerò si pater familias cum uxore, cum liberis, cum seruis talis sit, qualis esse debet, istiq; omnes illius imperium non detrectent, unusq; alteri inferiori, ut tenetur, obedientiam præstet, quis nam dubitare potest omnem amoris dulcedinem, omnem pacis amabilitatem, omnem denique uitæ beatæ fructum in illa domo reperiri? Ex

ri? Ex dictis quoque facilè intelligi potest eam primam fuisse priscis temporibus causam congregandarum ciuitatum, & regna, & imperia constituendi, ut legum uiri consultissimi semper adessent, qui potentiorum uim, atque audaciam coercerent, tenuiores ab illorum iniuriis defenderent, unicuiq; quod suum esset tribuerent, omnibusq; iuris æquabilitatem pro iusta portione ministrarēt. Nam eo tempore [vt prçclarè ait Cicero] cum homines non dum iure ciuili descripto fusi per agros, atque dispersi uagarentur, tantumque haberent, quantum manu, ac uiribus per cædem, ac vulnera, aut eripere, aut retinere potuissent, extiterunt uiri uirtute & consilio præstantes, qui dissipatos vnum in locum congregarunt, eosque ex ferocitate illa ad iustitiam, atque mansuetudinem transtulerunt, & inuento diuino, & humano iure eos mœnibus sepserunt. Optimè enim considerabant prudentes illi urbium conditores non mœnibus magis, quam legibus homines tutos fore, eosque quamdiù iuris æquitate gubernarentur, tam diù amicè inter se, ac concorditer viuere, simulatque legibus, earumque administratoribus carerent eos nec æquo iure vsuros, neq; eo quod suis laboribus peperissēt sine metu, ac seditione esse fruituros. Vbicunque enim leges dominantur illinc fraudes, illinc doli, illinc periuria exulant, non adulteri, non raptores, non sicarij, non latrones reperiuntur, sed ea omnia eueniunt, quæ ad ciuitates, & regna, & imperia propaganda, hominumque cetus, ac societates conseruandas maximè necessaria experiuntur. Nullum namque imperium, nulla Respublica sine legibus potest esse diuturna, arma enim sicut imperia parant, ita leges parta conseruant, & vt sine armis regna acquiri non possunt, ita nequiuerunt eadem sine legibus custodiri. Nullis vim, nullis iniuriam, nullis impetum fieri leges patiuntur, sed vnumquemq; in suo gradu, suaque dignitate tuentur. Hæc autem, aut his contraria ex quo nam causari dicemus nisi aut ex legum obedientia, aut ex illarum contemptu? Spretus verò, aut obseruantia ex quo nam, nisi ex ipsarum cognitione, vel ex earundem inscientia?

At ignorari leges facilè contingit vbi ipsæ non existunt, illæ verò ibi non vigent, vbi earum scientia non exercetur, leges enim frustra latę dici possunt, nisi illi adsint per quos hominibus eorum iura ministrentur, Cum igitur leges addiscuntur, earũ etiam constitutiones aut virtutis amore, aut formidine pœnę rectè seruari, atque ob id ciuitates maxima felicitate gubernari omnes ità pro certo, & quomodo mihi persuadeo pro explorato habent, vt nulla prorsus probatione opus esse existimem. Quapropter Sapienter Persarum reges ei, qui ex eorum liberis natu maximus erat, quique in spem regni educabatur, cum multos ad virtutes, bonarumque artium disciplinam magistros darent, tum vnum in primis eligerę, à quo legum scientiam, ac iustitiam doceretur literis traditum est ad omnemtemporis posteritatem. Indica etiam gens nil aliud à Diis, quam iustitiam postulare fertur, quod eam si consequantur omnium virtutum, omniumque bonorum congeriem se acquisiuisse certò opinantur. Iustitiam verò legum studio præcipuè obtineri, iurisque peritos cum eam adepti sunt ciuitatibus consulere, boni aliquid facientibus præmia decernere, contra agentibus pœnas constituere, ac propterea eorum scientia dignitate, atq; autoritate nihil fructuosius nihil nobilius, nihil illustrius reperiri, quis vnquam dubitare poterit? Nam si maximum, prędarumque facinus, & eximia laude dignum extrenuus copiarum dux gessisse creditur quod vrbem aliquam inuaserit, vicerit, deuastauerit, quæ tandem laus optimo legum consulto vnquam tribui potest, vt eius dignitas, eiusque scientia maiorem semper merere non videatur? Ipse enim non oppugnatione, sed peritia, non victoria, sed iustitia, non euersione, sed suę autoritatis ope hominum incolumitatem, bonarum artiũ cultum, vitęq; felicitatem inducendo, vrbes ab hostibus, ac propugnatoribus defendit, gubernat, atque conseruat. Etenim cum varia sint ad vrbium custodiam ac salutem excogitata propugnacula, vt aggeres, muri, fossæ aliaque huiusmodi, nullum profectò maius præsidium, aut fortius ciuitas habet eo, quo à iuris scientia, ac exercitatione mu-

nitur. Quid enim aliud sunt leges, nisi muri, & fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quam diutissimè detinent, malos arcent, & iis appropinquare non sinunt? Quid verò est ciuitas sine lege nisi mente, animo, consilio, ac sententia carens? Propterea verè dixerunt veteres legem esse animam ciuitatis, quemadmodum enim corpus, cum anima priuatur, absque sensu, absque motu, absque operatione videmus ita ut non solum immobile statim fiat, verum etiam tale, vt nec ipso corporis nomine appellari queat, sic quoque sine lege vrbs non tantum hominum societate optimarum artium studiis, pacis, ac felicitatis solatio orbatur, sed talis denique efficitur, vt eam prudentes quam plurimi viri nec ciuitatem vllo pacto habendam esse existimauerint. Illa enim vrbs habenda non est, ut ipsi comprobare videntur, cum leges in ea nihil valent, cum iudicia iacent, cum mos occidit patrius, ac ita viuitur, vt sceleratorum impetus, & conatus non reprimatur ab ijs, qui scientia, qui autoritate, qui iustitia improborum audaciam maximè coarctare possunt. Sed quid pluribus insisto? Qui legem aufert Solem à mundo tollit, vbi iuris cognitio non colitur, ibi ne vita quidem duci potest, cum iustitia non dominatur, felicitas vnquam comparari nequit. Nunc verò quid absq; Solis luce vniuersum esset? quid vniuersum absque vita? quid vita absque felicitate? Nihil profectò neque pulcrum, neque honestum, neque bonum reperiri potest quod iuris, ęquitatisq; peritia non cognoscatur. Legibus earum administratione, atque obseruantia exornantur, ac reguntur omnia. Vniuersa, quæ in terra, quæ in mari, quæ in aere, quæ in cœlo fiunt lege disponuntur. Ipsa adamantinis vinculis tellurem sustinet, quę nobis alimenta pręparat nubes cogit, easque in pluuiam resoluit, ut æqua inter elementa portio conseruetur, aquæ terminos imponit, quos præterire non audet, cœlestes orbes certo ordine, ac motu instituit, atque regit, vt lucem, calorem, ac virtutem in hæc inferiora immitant. Quod stamus, ac incedimus, quod dormimus, quod denique securè vitam agimus id totum est iuris, ac legum defensioni tribuendum,

quę nisi flagrantissimas hominum libidines, atque auaritias cohiberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus, virgines è parentum amplexibus eriperentur, per vias, per vicos, per plateas homines percuterentur, expoliarentur, crudelissimè interficerentur. Omnia enim (vt ait Demosthenes) quæ præclara sunt, quæque augusta, & per quæ ciuitas decoratur, & conseruatur liberorum erga parentes reuerentia, seruorum erga dominos obedientia, inferiorum erga maiores honor, & moderatio legum additamento, ipsarumque consultorum ope turpitudinem, immodestiam, audaciam impudentiam fugiunt. Hæc de legum præstātia, earumq; scientiæ nobilitate, ac vtilitate breuiter habui, ut uobis proposueram, eaque tantum veluti gemmas, aureaq; monilia, quibus lex, jurisque prudentia exornaretur, ex infinita copia eorum, quæ dici potuissent desumpsi, atque collegi. Nunc quid aliud superesset, nisi ut ad hanc præclarissimam scientiam totis viribus capessendam paucis uos cohortarer? Equidem id libentissimè facerem si vestram erga legum cognitionem summam, acuratamque diligētiam, animique propensionem non perspicerem. Iuris enim prudentię dignitate, ac pulcritudine ità incensi estis, vt sine eius tractatione, ac studio ne vitam quidem iucundam putetis. Quid igitur? finem ne dicendi faciam? Id enim à me iam expectari video. Ego verò id facere haud decreui, sed priusquam desinā pretiosa munera, quę ipsa suis amatoribus largitur uobis eam sequi cupientibus narrare non incongruum fore existimo. Non ut ad eius cognitionem adipiscendam omnem laborem perferendum, omnem corporis voluptatem negligendam, omnemque aliarum rerum curam ex animo eiiciendam esse uos admoneam, sed solum, ut hęc omnia nullo in studio melius, quā in hoc collocari posse cognoscatis. Quoniam verò locutionis meę tenuitas autoritatem vobis minuere facilè posset legē ipsam ità uos alloquentem credere debetis. Audi amice uoces meas, quę non mendacia, non fallacias, non dolos, sed ueritatem ipsam, verum bonum, maximamque

felicitatem maxime comprehendunt. Ego Deo cœterna ante omnia sum, per me elementa, per me cœlestia corpora, per me cuncta animantia facta sunt, omniaque mihi obediunt, ac obediendo reguntur. Ego omnium bonarũ artium cultrix, uirtutum omnium mater, omnium scientiarum regina, qui cœlestes orbes, tempero, elementa connecto, familias sustineo, ciuitates rego, prouincias guberno, regna confirmo, imperia augeo mundum conseruo. Ego, qui creaturis omnibus recti rationem impono, precipio, impero, uos tantum, ut liberos conari non audeo, ner debeo, sed ad me sequendum, atque amplectendum dulcibus promissis, maximisque premiis hortor, ac suauiter cogo. Omnia, quæ homines in vita maximoperè expetere solent, cuiuscumque generis illa sint, nulla re certius, aut facilius, quam scientia, quæ ex me addiscitur acquiri, conseruari, amplificari queunt. Est, quem moderatarum opum cumulandarum desiderium teneat? Ex tenui, & exili patrimonio paucis annis ad maximas diuitias cultores mei perueniunt, easq; partas in dies amplificant. Est, quem non tam opes moueant, quam honores delectent? Ea, qua fulgeo æquitate consulti summis laudibus illustrantur, cæterisque gloriæ splendore antecellunt. Est, qui dignitates assequendi cupiditate afficiatur? A me tanquam ex uberrimo fonte supremæ manãt, nec ulla unquã adeo illustris exoptari, alioque studio obtineri potest, ut mei scientia prędìti longè sibi non comparent præclariorem. Nobilitatem amat aliquis? Obscurissimo genere ortos supra omnes omnium fumosas imagines colloco. Nominis immortalitatem anteponit alius? Qui me sequuntur uigent memoria seculorum omnium, quam posteritas alit, quam æternitas semper intuetur. Vos igitur bonarum artiũ studiis, iuuenes deditissimi, si me honoris non indignam, si per me meliores effici existimatis, si mentis uitam, si tranquillitatem, si gaudium, si illam nobilitatis, atq; vtilitatis victoriam, quæ omnes alias superat non contemnitis, si denique illam animi perfectionem, ac felicitatem, ad quam geniti estis non paruifacitis, mihi studia

vestra,

veſtras vigilias, ac labores vouete, ac dicate. Ego vos clariſsimis gloriæ radiis circundabo, dextera hæc veſtra capita non lauro, non auro, non gemmis, ſed triumphali corona ornabit, quæ ſplendidior, ac pretioſior erit, quam ſi fulgentiſsimis ſyderibus contexta radiaret. Huius ſapientiſsimæ præceptricis vocibus, glorioſiſsimæ huius imperatricis conſiliis refragari poteritis? an verò eius petitioni omni conatu, omnique animi contentione obſequemini? Laboris forſitan, aut difficultatis vos deterret, atque exanimat magnitudo? Et ſi iſta cognitio iuris magna, ac difficilis eſſet, maxima tamen vtilitatis adeptio vos deberet ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Vlterius maximas res maximos quoque expoſtulare labores cogitare debetis, non enim, vt Propertius ait, lata via currere ad muſas datur, & verum eſt quod Horatius aſſerit: nil ſine magno vita labore dedit mortalibus. Ego verò ad hanc facultatem conſequendam me vobis pro mea virili parte ducem, ac comitem profiteor, & vt mei muneris eſt uobis eas uias indicabo, quibus ad ipſam iuris ſcientiam facilius perueniatis, eaque exculti Reipublicæ aliquando vſum aliquem afferre poſsitis, denique ad illius difficultatem ſuperandam quantum in me erit (ſi quid modo erit) auxilio uobis ero, meque ſtudioſiſsimè, conſtantiſsimèque operam daturum vobis omni adſeueratione confirmo, ut ſi nulla alia re, at certè induſtria, & adſiduitate me huic muneri nō incommodum, neq; omninò indignum preeſſe fateamini. Quid igitur aliud reſtat, niſi vt te legem ſanctam alacri animo ſubſequamur, noſtris laboribus adipiſcamur, tuiſque fructibus maxima felicitate fruamur? Ecce nunc totis viribus te ſequimur, dextera tua nos ducat, tua voluntas nos perficiat, tua ſcientia nos felicitet. Tu virtutis indagatrix, Tu vitiorum expultrix, tu morum magiſtra, tu uitæ tranquillitas, tu felicitatis origo, tu mentis dux, tu vniuerſi regina, tu filia Dei. Dixi.

Deo Laus, & gloria.

Legi præsentem Orationem Excell. Dñi Angeli Fauillæ I. C. Florentini, in qua nihil à Fide Catholica, & optimis moribus alienum reperi.

Vincentius à Rabatta Can. Flor.

Attenta relat. præmissa, facultatem impertimur imprimendi Flor. præhabitam Orationem ordinibus consuetis seruatis. Die 3. Septembris 1612.

Petrus Niccolinus Vic. Generalis Flor.

Fr. Lucius Tornainius subst. R. P. Inq. Generalis Florentiæ facultatem imprimendi concedit. Die 5. Septembris, 1612.

Nicolaus Antellensis I. C. Senator Flor.



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967